


ARISTOPHANIS PAX.

EDIDIT


IVLIVS RICHTER
PHIL. DR.



BEROLINI
SVMPTVS FECIT LIBRARIA NICOLAI (G. PARTHEY)
A. MDCCCLX.



VNIVERSITATI. LITERARVM.
BEROLINENSI.
ALMAE. OPTIMARVM. ARTIVM.
MATRI. QVINQVAGENARIAE.
SANCTISSIMAE. PACIS. CVLTRICI.
DIEM. NATALEM.
IDIBVS. OCTOBRIBVS. ANNI.
MDCCCLX. AVSPICIIS.
FAVSTISSIMIS. CELEBRANTI.
VIGOREM. PERPETVVM.
FLOREM. FELICITATEM. PRECATVS.
HANC. PACIS. ARISTOPHANEAE.
EDITIONEM. SACRAVIT.
IVLIVS. RICHTER. POMERANVS.



PRAEFATIO.

Codicum signis, Ravennatis (R.) Veneti (V.) Parisinorum (B. C.) Florentini (Γ.) Vaticano-Palatini (Vat. P.), usus sum Dindorfianis.

Editiones contuli viginti sex, Aldinam a. 1498, Iuntinam II a. 1525, Basileensem Cratandri a. 1532, Parisiensem Wecheli a. 1540, Iuntinam III a. 1540, Francofurtanam Brubachii a. 1544, Basileensem Frobeni a. 1547, Lugdunensem Raphelengii a. 1600, Genevensem Porti a. 1607, Lugdunensem Mairii a. 1624, Amstelodamensem a. 1670, Amstelodamensem Kusteri a. 1710, Lugdunensem Burmanni a. 1770, Argentoratensem Brunckii a. 1783, Lipsiensem Invernizii a. 1794, Lipsienses Dindorfii a. 1820. 1825, Parisiensem Boissonadii a. 1826, Lipsiensem Bothii a. 1828, Londinensem Bekkeri a. 1829, Oxoniensem Dindorfii a. 1835, Parisiensem Dindorfii a. 1838, Londinensem Holdenii a. 1848, Lip-

sienses Bergkii a. 1852. 1857, Lipsiensem Meinekii a. 1860. Praeterea scholiorum editionem Duebnerianam adhibui. De reliquis vide sis praefationem nostram ad Vespas.

Scribebam Kalendis Septembribus a. MDCCCLX.

---

p. 44, 6 l. etc. hemichoria. p. 92, 20 l. Verumtamen. p. 141, 15 l. χρῆσαι. p. 205, 8 v. 717 l. ῥοφήσει. p. 247, 36 l. γενναιοπρεπῶς.

PROLEGOMENA.

PROLEGOMENA.

CAPVT PRIMVM.

DE TEMPORE FABVLAE PACIS ACTAE DEQVE FABVLIS QVAS DICVNT RETRACTATIS.

Argumento Pacis narrato fragmentum didascalicum reperimus additum, quod unde descripserit argumenti auctor dignosci iam non licet. De quo quum prae reliquis mutilum sit ac depravatum, sententiam meam proposui in Prolegomenis ad Vespas p. 25. Ibi enim, quod fragmenti forma hodie haec exstaret: ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου ἐν ἄστει. πρῶτος Εὔπολις Κόλαξι, δεύτερος Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ, τρίτος Λεύκων Φράτορσι. τὸ δὲ δρᾶμα ὑπεκρίνατο Ἀπολλόδωρος, ἡνίκα ἑρμῆν λοιοχρότης: aut ἐνίκα Εἰρήνῃ Λεωκράτης legendum Comicoque primas vindicandas, Eupolidi secundas eiusque actorem Apollodorum habendum censebam; aut ἡνίκα Εἰρήνην Λεωκράτης coniiciendum praemiorumque ordinem servandum esse, ita ut vel Eupolidi, quod quidem in Proleg. l.l. existimabam, vel Leuconi accederet Apollodorus primarum partium actor. Iam tertiam de literulis istis in fine fragmenti didascalici suspicionem viris doctis diiudicandam proponere audeo. Quid? si haec frustula ad alterius Pacis didascaliam pertineant, nonne legendum ἐνίκα Εἰρήνῃ β′ Λεωκράτης? ut Comicus Pace priori secundum, posteriori

primum obtinuerit locum? Sed videamus deinceps ac primum tempus Pacis fabulae superstitis statuamus accuratius.

II. Fragmentum istud didascalicum uni Veneto debetur: descripsit primus I. Bekkerus in edit. Londin., receperunt Dindorfius in ed. Oxon., Bergkius, scholiorum in Aristophanem editor Parisinus. In eodem codice fragmentum legitur argumenti, cui nomen praefixum Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ.· Alterum argumentum et narratio de Pace altera in utroque codice, Ravennate Venetoque exstat, Brunckii Parisini omni argumento carent, ut editio Brunckii ipsa. Vulgo in vett. edd. tres excussae argumenti partes, primum eae quae apud Bekkerum primo loco coniunctim leguntur ex R. V. petitae, deinde ex longiore Veneti argumento exordium et prior fere pars dimidia, omissa altera parte cum fragmento didascalico. Hoc alterum argumentum Invernizius et Dindorfius in edit. Lips. 1820 et Bothius omiserunt. — Dudum Sam. Petitus ex ingenio suo, ut videtur, coniecerat, Miscellan. I, 8 p. 33 sq., Pacem fabulam Alcaeo archonte Ol. 89, 3, i. e. a. 421 actam esse: cuius coniecturam probaverunt Kusterus, Dindorfius (not. ad Oxon.), Meinekius Qu. scen. I. p. 15. II p. 76, Bergkius, quem vide etiam in not. ad Rel. Com. p. 57, alii. — Contra Palmerius Exerc. cr. p. 742 sq. propter versum Pacis 989 οἵ σου τρυχόμεθ' ἤδη τρία καὶ δέκ' ἔτη, archonte Astyphilo Ol. 90, I, i. e. anno 419 fabulam scenae commissam esse duxit. Eandem fere vel potius nullam sententiam proposuit Florens Chr., quippe qui in annum accuratius definiendum non indagaverit; Brunckius vero Palmerii rationes probavit in not. ad v. l., item Clintonus Fast. Att. eidem anno tribuit fabulae commissionem, non probatus Kruegero editori. Iam relinquitur, ut aut argumenti didascalici auctorem sequamur aut versum istum, cuius patrocinium suscepit Palmerius, aut denique eundem istum versum rectius atque aptius interpretando fabulae tempori genuino obstare prohibeamus.

III. Qui Pacem fabulam paullo accuratius inspexerit, is Comicum consilium fabulae scribendae statim post nuntiatam pugnam ad Amphipolin iniisse facile concedet. Brasidas et Cleo,

licet sex fere mensibus ante fabulam editam ceciderint, Thuc. V, 10. 12 τοῦ θέρους τελευτῶντος: cf. Diod. XII, 73 sq., Athen. V p. 215 d, tanquam modo caesi terrebant poetam, quasi viverent Pacemque deam possent propellere, ne compareret. Ita spei quidem 'fabula plena, sed plenior timoris. Vbi Mercurius in narratione de belli exordio atque initio Cleonis meminit coriarii, sollicite Trygaeus anxieque interpellans:

παῦε παῦ' inquit ὦ δέσποθ' Ἑρμῆ μὴ λέγε·
ἀλλ' ἔα τὸν ἄνδρ' ἐκεῖνον οὗπερ ἔστ' εἶναι κάτω·
οὐ γὰρ ἡμέτερος ἔτ' ἔστ' ἐκεῖνος ἀλλὰ σός. (v. 649 sqq.)

Etiam magis scena qua Πόλεμος et Κυδοιμὸς prodeunt neque Comicum neque cives eius fore ut iam bellum componeretur satis sperasse ostendit, v. 233 sq. Rursus eadem scena Cleonem et Brasidan recens caesos significat, quum Πόλεμος utrumque iam periisse nondum cognoverit, v. 261. 274 sq.; ipseque Trygaeus, nuntio mortis a Cydoemo allato, quasi novi quid atque inexspectati audiverit, exsultat gaudio, v. 271 sqq. 285 sqq. 291. Belle Comicus inscitiam stuporemque Belli, Trygaei vero et timorem et laetitiam depingit; ut ineptum sit, id quod obiter moneo, scholiastae ad v. 648 commentum: οὐκ ἦν ἐξόν, τεθνηκότας κωμῳδεῖν. Cui diserte vel ipsa parabasis contradicit, quum eosdem quos Vesparum versus continet v. 755 sqq. de perpetuo Comici cum Cleone bello, idem igitur odium, verum eundem quoque timorem sapit, quasi Cleo aut vivat aut facile possit reviviscere. — Hae igitur scenae, quando fabula concepta et composita sit, prae reliquis designant, ne dicam, quod per se patet, fabulam aliquot mensibus ante commissionem a poeta scribi oportere, ut et actoribus et choro tempus ad ediscendum sufficiens concedatur. Per inducias igitur et propter hiemem et, quod utrique εὐθὺς μετὰ τὴν ἐν Ἀμφιπόλει μάχην, ut Thucyd. ait V, 14, — πρὸς τὴν εἰρήνην μᾶλλον τὴν γνώμην εἶχον, factas postquam scripsit fabulam, scenae eam brevi ante pacem factam commisit. De qua pace Thucyd. V, 19: ἄρχει δὲ τῶν σπονδῶν ἔφορος Πλειστόλας Ἀρτεμισίου μηνὸς τετάρτῃ φθίνοντος, ἐν δὲ Ἀθήναις ἄρχων Ἀλκαῖος Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος,

h. e. Idibus fere Martiis a. 421; idemque statim c. 20 αὗται αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἅμα ἦρι ἐκ Διονυσίων εὐθὺς τῶν ἀττικῶν. Pax ergo fabula rebus adhuc ancipitibus concepta ineunte mense Martio Liberalibus magnis, quum de pace proxime facienda vix quisquae dubitare posset, edita est. Quare Comicum secundo praemio ornatum putarim, quod egregiam eius inventionem, qua Pacis deae simulacrum ab universa Graecia protrahi iubet vel invitae, spectatores, utpote belli metu liberati pacemque iam ante portas conspicati, iam non ex poetae animo atque ingenio probare poterant. Atqui quam dulce putas risisse Athenienses, Lacedaemoniorum reliquarumque civitatum legatos, hospitem quemque ac peregrinum, cunctos scilicet iamiam pacem gustantes, quum audirent Lacedaemonios quidem laudari tanquam viros propositi tanaces, ἕλκοντας ἀνδρικῶς v. 482, reliquos contra, Argivos, Boeotos, miseros praesertim Megarenses increpari accusarique tanquam pigros vel perfidos? v. 468 sqq. 485 sqq. 504 sqq., quam risisse porro plausuque probasse, quum viderent pacis res, pio quidem sed supra modum hilari et petulanti animo vota sacraque fieri? Etenim non tam Pacis laudes aguntur quam sacrorum epularumque quae sunt Pacis dona acceptissima. Qua de re vid. cap. IV.

IV. Iam quum fabula ipsa Alcaei se anno doctam esse doceat, facile erit Palmerii et sociorum refellere rationes. Ac primum pace facta pacem faciendam curare vel ut fiat suadere, nonne hoc est actum agere? Num credibile unquam est, Comicum, qui ubique iusto temporis momento Musam suam prodire iubeat aggredique, hanc fabulam tribus annis post pacem factam, tribus annis et dimidio post finitum bellum commisisse? i. e. archonte Archia, Ol. 90, 2, a. 418 mense Martio. Namque si versu 980 duce annos computamus, Astyphili archontis annus belli duodecimus est. Quod liquide docet Thucyd. V, 20, unicus harum rerum arbiter et dux: αὗται αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο — αὐτόδεκα ἐτῶν διελθόντων καὶ ἡμερῶν ὀλίγων παρενεγκουσῶν ἢ ὡς τὸ πρῶτον ἡ ἐσβολὴ ἡ ἐς τὴν Ἀττικὴν καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου τοῦδε ἐγένετο. Atque idem V, 56 fin., postquam de rebus Archia

archonte gestis exposuit, καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα καὶ τρίτον καὶ δέκατον ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα. Iam si quis hoc quoque tempus induciarum bellum malit quam pacem nuncupare, ipsum Thucydidem habebit auctorem, qui V, 26 ἔτη δὲ ἐς τοῦτο τὰ ξύμπαντα ἐγένετο τῷ πολέμῳ ἑπτὰ καὶ εἴκοσι. καὶ τὴν διὰ μέσου ξύμβασιν εἴ τις μὴ ἀξιώσει πόλεμον νομίζειν, οὐκ ὀρθῶς δικαιώσει. Atqui idem paullo ante c. 25 καὶ ἐπὶ ἓξ ἔτη μὲν καὶ δέκα ἀπέσχοντο μὴ ἐπὶ τὴν ἑκατέρων γῆν στρατεῦσαι, ἔξωθεν δὲ μετ' ἀνακωχῆς οὐ βεβαίου ἔβλαπτον ἀλλήλους τὰ μάλιστα. Nec quidquam Thucydides memoriae prodidit in enarratione singulorum annorum, quod tanti momenti fuisset ut Comicum ad Pacem fabulam scribendam ipsis temporum angustiis malisque excitatum crederes. Vna illa ad Mantineam pugna, cui Athenienses Lachete et Nicostrato ducibus interfuerunt (Thuc. V, 61), Antiphonte facta est archonte media aestate a. 418, quinque fere mensibus post Liberalia magna eius anni, cui v. 980 Pacis didascaliam videtur vindicare, Thuc. V, 75. Cf. schol. Av. 13, Mueller. fr. Hist. gr. I p. 376. Num errasse Comicum credamus? Qui quidem recte annos numeravit Acharn. 266 ἕκτῳ σ' ἔτει προσεῖπον, quod recte schol. interpretatur, et 890 ἥκουσαν ἕκτῳ μόλις ἔτει ποθουμένην. Namque Acharnensium fabula nondum finito sexto belli anno Lenaeis docta est a. 425, Ol. 88, 3. Cf. Boeckh. Abhandl. d. Acad. a. 1816 p. 86 sqq. An potius Trygaeum senem numerum annorum de suo auxisse censeamus? Fuerunt, qui ita versum explicarent, Comicumque edictum istud Periclis contra Megarenses initium belli esse voluisse. Qui profecto et in Acharnensibus 530 sqq. et in Pace 609 sqq. Periclem eiusque cum Megarensibus controversiam, quam τὸ Μεγαρικὸν ψήφισμα sequutum sit, belli auctorem causamque esse ita narrat, ut comicum decet. Verumtamen, licet Lacedaemonii cum reliquis etiam hanc causam belli esse voluerint, Thuc. I, 139: καὶ μάλιστά γε πάντων καὶ ἐνδηλότατα προὔλεγον τὸ περὶ Μεγαρέων ψήφισμα καθελοῦσι μὴ ἂν γίγνεσθαι πόλεμον, hoc populiscitum (Charini) duobus fere annis ante belli Peloponnesiaci initium renuntiatum est, secundum Meierum, ind. lect. Gryphisw. a. 1821

p. 6, a Kruegero laudatum, quem vid. Hist. phil. Stud. p. 195; Thuc. I, 67; Plut. Pericl. c. 30 sqq. Itaque quum hac ratione tantum duodecim efficiantur anni, ad superiorem annum relegamur, ad Ol. 86, 3, a. 434, quo anno primam pugnam navalem inter Corinthios et Corcyraeos accidisse probabiliter Kruegerus exposuit ad Clint. Fast. Hell. et Hist. phil. Stud. p. 266; cf. Thuc. I, 29 sq. Quae pugna tredecim annis ante Niciae pacem commissa, quam vere ac proprie totius belli initium possit haberi, vel ex ipso Thucydide discas. Immo haec quasi fundamenta malorum communium ac per universam Graeciam grassantium a Trygaeo sene designantur, quod senex etiam temporum meminit paullo remotiorum: vel quod Comico non verum quidem sed modice cumque veritatis specie auctum annorum numerum statuere placuit. Ἤδη autem quod dicit Trygaeus, verterim: iamiam, nostrum: eigentlich schon. Ita Pax Acharnensibus non repugnat: illic τὸ ἕκτον ἔτος proprio sensu, hic τρία καὶ δέκ' ἔτη vel translato vel comico sensu usurpatur.

V. His expositis ad fragmentum didascalicum redeamus. Ac prior fragmenti pars satis defenditur Athenaei auctoritate, Eupolidis fabulam Κόλακες Alcaeo archonte doctam esse diserte tradentis V p. 218 c. Vltimas literulas ἡνίκα ἑρμῆν λοιοχρότης varie viri docti tentaverunt. Rankius Vit. Arist. p. 215 nomine sane monstruoso Λοιοχρότης probato histrionem quendam secundarum partium nominari putat, qui Mercurii partes egerit: supplet igitur ὑπεκρίνατο. Atqui partium secundarum actorem in didascaliis nominari non potuisse certissimum est. Dindorfius proponit ἡνίκα ἔτ' ἦν ὑποκριτής, quasi Apollodorus ille, homo alias ignotus, ubi ipse fabulis scribendis operam dederit, actoris munere se abdicaverit. Bergkius, in editionibus obscuro loco relicto, in libro de Rel. Com. p. 54 not. praeteriens, ut ait, corrigit: ἀνέθηκε Ἑρμῆν Λεωκράτης, addens: „Leocrates ille, Stroebi ut videtur filius, Leocratis maioris, qui Periclis fuerat adversarius, nepos, choregus fuit et Hermam in memoriam victoriae dedicavit: sed haec accuratius persequi non licet.“ Nec certi quidquam de Hermis a chorego victore dedicatis constat: dedicare

scilicet tripodas consuerant: neque choragica monumenta cum didascalicis confundi licet, vid. Proleg. ad Vesp. p. 9 sq. Quod ego supra p. 1 proponere conabar, ἡνίκα Εἰρήνῃ β' Λεωκράτης, id certe defenditur loco argumenti I ad Aves: ἐπὶ Χαβρίου τὸ δρᾶμα καθῆκεν εἰς ἄστυ διὰ Καλλιστράτου (Καλλίου R.)· εἰς δὲ Λήναια τὸν Ἀμφιάραον ἐδίδαξε διὰ Φιλωνίδου: eo scilicet, quod duarum didascaliarum fragmenta coniunxit argumenti scriptor, dum alterum huius fabulae argumentum in eodem cod. R. tantum Avium didascaliam satis integram, h. e. omissis tantum Amipsiae et Phrynichi protagonistis, continet. At defenditur idem etiam Vesparum didascalia, si vera sunt, quae de eius forma genuina disputavi Proleg. p. 26 sq.; item Pluti argumento didascalico IV Bekk., in quo praeter Pluti de Cocali et Aeolosiconis didascalia agitur; defenditur praeterea vel illis locis omnibus, quibus poetarum nomina corrupta, permutata, ambigue posita legimus: quippe vel antiquissimis grammaticis, Eratostheni, Callimacho (schol. Nub. 552), aut non amplius aut non ubique contigisse significant, ut sincera didascaliarum forma uterentur. — Quod quum ita comparatum sit, ut ad liquidum perduci ratione possit nulla, neque profecto multum intersit, utrum Pacis alterius actorem qui fuerit sciamus an ignoremus; ad ipsam hanc Pacem alteram duce altero fragmento, quod exstat in cod. R. V., ex tenebris atque ex latebris, si fieri possit, eruendam aggredimur.

VI. Ita Bekkerus excussit argumentum: φέρεται (φαίνεται V.) ἐν ταῖς διδασκαλίαις καὶ ἑτέραν (haec duo verba om. R. V.) δεδιδαχὼς εἰρήνην ὁμοίως ὁ Ἀριστοφάνης· ἄδηλον οὖν, φησὶν Ἐρατοσθένης, πότερον τὴν αὐτὴν ἀνεδίδαξεν ἢ ἑτέραν καθῆκεν, ἥτις οὐ σώζεται. Κράτης μέντοι δύο οἶδε δράματα γράφων οὕτως „ἀλλ' οὖν γε ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσιν ἢ Βαβυλωνίοις ἢ ἐν τῇ ἑτέρᾳ Εἰρήνῃ." καὶ σποράδην δέ τινα ποιήματα παρατίθεται, ἅπερ ἐν τῇ νῦν φερομένῃ οὐκ ἔστιν. A quo Aldina et Iuntina II non dissentiunt nisi quod initio ὅτι—δεδίδαχεν, tum Κράτης—εἶπε, denique ἐπὶ τοῖς Ἀ. praebent. Quibus discimus quidem e verbis, Eratosthenem inspexisse didascalias aut didascalica, non inspexisse ipsas fabulas: verum non discimus ex iisdem, Cratetem fabulis esse usum, quum

dixisset ἀλλ' οὖν — Εἰρήνῃ. Tam lacera et ipsius Cratetis sententia et, qui eam rettulit, grammatici sequioris est, ut ex isto οἶδε textum fabularum Pergameno praesto fuisse nequaquam possis colligere. Hoc unum, quod et summi momenti esse fatebimur, argumento huic debemus: φέρεται ἐν ταῖς διδασκαλίαις. In didascaliarum igitur conspectu Eratosthenis tempore legebatur bis Aristophanis nomine Εἰρήνῃ. Duas igitur Comicus eiusdem nominis fabulas composuit, duas commisit: utraque suo loco in didascaliarum catalogo, de quo satis exposui in Proleg. ad Vesp. c. I, perscripta erat, nulla significatione nisi simplici titulo: Εἰρήνῃ, scilicet quum dativo in genuina didascaliarum forma opus fuerit. Itaque altera quidem ab altera non differebat; siquidem de didascaliis agitur, nisi ipso commissionis tempore. Istud α' et β' vel προτέρα et δευτέρα aut, quod minus equidem crediderim, collectoris primi aut grammaticorum Alexandrinorum vel Pergamenorum aut etiam hominum longe sequiorum est additamentum; quo didascaliae ipsae utpote annorum commissiones singulorum continentes non indigebant. — Iam quum duas fuisse fabulas diversas inter se, duas Pacis commissiones tempore distantes praeter Eratosthenem et Cratetem etiam alii quidam, de quibus mox videbimus, testes sint; quaeritur utrum Pacem alteram fabulam retractatam an novam fuisse dicamus; quaeritur porro, utrum Pax superstes, ἡ φερομένη, prior sit fabula an posterior: quaeritur denique, utrum Pax superstes, si fuerit aetate posterior, et ipsa retractata sit an nova Comici inventio.

VII. De fabulis retractatis, quum multi sint, qui sententiam exposuerint, nunc praeter Casaubonum ad Athen. III, 26 p. 210 sq. nomino Boeckhium Gr. tr. pr. c. II, p. 18 sq., Meinekium Hist. Com. I p. 31 sq. p. 118, Fritzschium V programm. a. 1849—1852 univ. Rostoch., quibus de Nubibus retractatis egit. His accedunt scriptores historiae Graecorum litterariae, scriptores rerum scenicarum, aliquot Nubium editores aliique quorum nomina enumerare longum est. Quibus omnibus persuasum est et tragicos et comicos poetas cum fabulas quasdam sat multas retractasse tum commisisse retractatas: retractasse vero fabulas

quum non stetissent, h. e. tertio praemio ornatae essent, vel minus placuissent, h. e. secundo praemio dignae essent habitae. Retractare autem, quod Graeci διασκευάζειν nuncupant, differre ab ἀναδιδάσκειν dicunt, quod tantum victricibus fabulis contigerit; item differre ab διορθοῦν, quod est emendare fabulam vel carmen alius generis arte critica. Ἡ διασκευὴ igitur novum reddit carmen aut multis partibus novatum, ἡ διόρθωσις, emendatio, ad singula verba pertinet, carmine ipso salvo. At διορθοῦν et διασκευάζειν confusa videmus e. g. in argumento Hippolyti, fabulae Euripidis hoc nomine secundae: τὸ γὰρ ἀπρεπές—ἐν τούτῳ διώρθωται τῷ δράματι. Verum de his notionibus, quatenus ad carmina Homerica pertinent, vid. Wolfii Proleg. p. 174 sq. p. 237; Lehrsii Aristarch. p. 348 sqq., Fritzsch. ad Arist. Ran. p. 437 et De fab. retr. I p. 8 not. — Iam reliqua fabularum vel emendatarum vel retractatarum exempla a Casaubono aliisque collecta perlustremus eo consilio, ut Aristophanem praeter Nubes retractasse quidquam negare possimus. Audiamus primum Galenum ad Hippocratem de salubri diaeta XV p. 424 Kuehn (V p. 38 Chart.): ἐπιδιεσκευάσθαι λέγεται βιβλίον ἐπὶ τῷ προτέρῳ γεγραμμένῳ τὸ δεύτερον γραφέν, ὅταν τὴν ὑπόθεσιν ἔχον τὴν αὐτὴν καὶ τὰς πλείστας τῶν ῥήσεων τὰς αὐτάς, τινὰ μὲν ἀφῃρημένα τῶν ἐκ τοῦ προτέρου συγγράμματος ἔχῃ, τινὰ δὲ προσκείμενα, τινὰ δὲ ὑπηλλαγμένα· παράδειγμα δ' εἰ βούλει τούτου σαφηνείας ἕνεκα τὸν δεύτερον Αὐτόλυκον Εὐπόλιδος ἔχεις ἐκ τοῦ προτέρου διεσκευασμένον. Vnde sua Galenus hauserit incertum: e didascaliarum dixerim commentariis, quorum frustula deprehendi licet satis multa. Athenaeus, qui retractationis fabularum tanquam rei usitatae meminit saepius, in ipsa Autolyco fabula, quam perverse sequiores de fabulis retractatis iudicaverint maxime opinor ob auctorum certorum penuriam, satis ostendit V p. 216 d ἐπὶ τούτου γὰρ (Ἀρίστωνος) Εὔπολις τὸν Αὐτόλυκον διδάξας διὰ Δημοστράτου χλευάζει τὴν νίκην τοῦ Αὐτολύκου. Scilicet quum duae fuerint fabulae longe diverso tempore actae, altera Ol. 89, 4, altera Ol. 92, 2 vel 3, Meinekio auctore Qu. scen. I p. 42, Com. I p. 117 sq., quem sequutus est Bergkius Rel. Com. p. 342; Athenaeus Bergkio iudice tantum posteriorem

novit ad eamque, nullo indicato discrimine, fragmenta refert omnia. Penitus autem utramque comoediam differre non Galenus quidem, ut Bergkius voluit, opinione sua ostendit, sed temporum ratio iubet, de qua re quum diligenter disputatum sit a Meinekio Bergkioque, nunc ad alia quaedam transeamus. Memorabilis est Chamaeleontis in libro sexto περὶ κωμῳδίας de Anaxandride comico narratio apud Athen. IX p. 374 b: πικρὸς δὲ ὢν τὸ ἦθος ἐποίει τι τοιοῦτον περὶ τὰς κωμῳδίας· ὅτε γὰρ μὴ νικῴη λαμβάνων ἔδωκεν εἰς τὸν λιβανωτὸν κατατεμεῖν καὶ οὐ μετεσκεύαζεν ὥσπερ οἱ πολλοί: memorabilis maxime propter ultima verba ὥσπερ οἱ πολλοί, quasi haec communis fuisset comicorum consuetudo, ut fabulas retractarent. Cui non contradicit Meinekius Com. I p. 368. Etiam impeditior locus Athenaei VIII p. 358 d ἀλλὰ μὴν οὐδὲ οὕτως εἰμὶ φίλιχθυς, ὡς ὁ παρὰ τῷ αὐτῷ ποιητῇ ('Αντιφάνει) ἐν Βουταλίωνι, ὅπερ δρᾶμα τῶν 'Αγροίκων ἐστὶν ἑνὸς διασκευή. Meinekius Com. I p. 331, quum Antiphanes fabulam scripserit Ἄγροικοι ἢ Βουταλίων ab ipso Athenaeo VII p. 304 b, p. 313 b pleniore hoc titulo laudatam, Βουταλίων secundam fabulae editionem fuisse censet, dubius, quid sibi velit ἑνός. Nec sane expeditu facile. Dixerim aut ἐπιδιασκευή legendum pro ἑνὸς διασκ., aut ἑνὸς τῶν 'Αγροίκων significare fabulam poetae alicuius quam repetierit vel retractaverit Antiphanes. Nam Ἄγροικοι tritum ut apparet comoediarum argumentum: index apud Meinekium I p. 569 sex fabulas nominat hoc nomine inscriptas. Sed Athenaeum duplici fabulae inscriptione in errorem puto inductum, ut duplicem recensionem vel editionem exstitisse existimaret. Hae vero inscriptiones duplices unde originem duxerint, exponam infra. Simillime Athen. XI p. 496 f Δίφιλος δ' ἐν Εὐνούχῳ ἢ στρατιώτῃ, ἔστι δὲ τὸ δρᾶμα διασκευὴ τοῦ Αἱρησιτείχους: vel tres eiusdem fabulae titulos affert, unde facile erat novam vel etiam novas editiones suspicari, quamquam paullo supra idem: Δίφιλος Αἱρησιτείχει, τὸ δὲ δρᾶμα τοῦτο Καλλίμαχος ἐπιγράφει Εὐνοῦχον: incertum, utrum ex didascaliis Callimachus an ex argumento fabulae. Vid. Mein. Com. I p. 451, IV p. 377. Prorsus eadem conditio est Alexidis Philetaeri vel Demetrii ap.

Athen. XIV p. 663 c, Mein. I p. 388, III p. 404: ἔχει δ' ἡ σύμπασα ἐκλογὴ (collectio verborum ad parasitorum vitam spectantium) οὕτως, οὖσα ἐκ τοῦ διεσκευασμένου δράματος, ὃ ἐπιγράφεται Δημήτριος. Nempe dicitur fabula retractata, quod duos habet titulos. Denique hoc loco ponam, quod in argumento exstat Medeae Euripidis: τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι παρὰ Νεόφρονος διασκευάσας ὡς Δικαίαρχος τοῦ τε Ἑλλάδος βίου καὶ Ἀριστοτέλης ἐν ὑπομνήμασιν. Cf. Diog. L. II, 134, Suid. s. v. Νεόφρων. Quod nihil aliud significare dixerim, quam Euripidem non imitatum quidem nedum exscripsisse Neophronem sed ita argumentum tractasse, ut Aristoteles in opere opinor didascalico atque ex eo Dicaearchus tragicum vel suffuratum esse fabulam Neophronis vel retractavisse crederent. Quasi idem argumentum eadem ratione vel simillima duo poetae non potuerint tractare! Obiter moneo, quod in alio argumento obvium est, διασκευή et διασκευάσαι vulgari notione uti in arg. ad Orest. Eurip. ἡ διασκευὴ (ὑπόθεσις) τοῦ δράματός ἐστι τοιαύτη et ἔοικεν οὖν διὰ τὸν χορὸν ὁ ποιητὴς διασκευάσαι (instituisse). — Cum argumento Medeae compares Persarum: Γλαῦκος (Rheginus) ἐν τοῖς περὶ Αἰσχύλου μύθων (Mueller. Fr. h. gr. II p. 23 sq. hunc locum praetermisit, cf. de Aesch. Soph. Eur. interp. gr. p. 33) ἐκ τῶν Φοινισσῶν Φρυνίχου φησὶ τοὺς Πέρσας παραπεποιῆσθαι, h. e. διεσκευάσθαι eodem sensu quo Aristoteles et Dicaearchus dixerunt.

VIII. Rursus aliis locis Athenaeus simpliciter apposuit δευτέρα, quod Meinekio aliisque duplicis recensionis signum documentumque est: ut Archippi Ἀμφιτρύων δεύτερος laudatur III p. 95 e, X p. 426 b. Immo δευτέρῳ Meinekius ad XI p. 494 b addendum iudicavit, Com. I p. 208. Quod eadem fabula saepius omissa hac significatione laudatur, id commune habet cum reliquis fere omnibus fabulis, quae dupliciter inscriptae sunt. — Eundem Athenaeum, qui de Autolyco, dramate Euripidis satyrico, dixerit Εὐριπίδης ἐν τῷ πρώτῳ Αὐτολύκῳ, X p. 413 c, recte erroris Nauckius arguit Trag. fr. p. 350, scribendumque σατυρικῷ bene coniecit. Nam quis unquam fabulam satyricam, appendicem hilarem et levem, retractandam fuisse vel narravit vel

omnino audivit? Porro Phrixum Euripideam, cuius exordium ipse auctor citat Ar. Ran. 1225, scholiasta ad v. δεύτερον appellat, suffragante Tzetza in cod. Ambrosiano C. 222 ap. H. Keilium Rhein. Mus. N. F. VI p. 616 sq., qui secundae fabulae versum primum et alterum affert, immo utramque se fabulam coram inspexisse memoriterque tenere gloriatur — et mentitur. Etiam Sophoclis aliquot fabulae πρῶται et δεύτεραι afferuntur; ita Φινεὺς α' a Steph. Byz. s. v. Βόσπορος, Φινεὺς β' ab Hesychio s. v. ἀτύρμασι et ἀχάλκευτα τρύπανα. Qui fragmenta ap. Nauckium p. 227 inspicere volet, is pauca ex tragoedia, pleraque e satyrico dramate excerpta esse intelliget. Ita Tyro προτέρα et δευτέρα, de qua vid. Nauckium p. 217 sqq., non duplex eiusdem dramatis recensio est, modo fragmentorum, inprimis fr. 593. 594, rationem habeamus, sed altera tragoedia alterum drama satyricum. Lemniarum, quas duplices indicat Steph. Byz. s. v. Δώτιον, fragmenta supersunt paene nulla; at versiculi quos ap. Nauckium p. 171 legimus a cothurno non abhorrent. Verum Lemniarum facinora duabus fabulis argumenti praebent satis, neque adeo coniugum caedes connecti apte potuerit cum Argonautis eorumque cum Lemniis mulieribus et certamine et connubio. — Porro laudatur Θυέστης β' ab Hesychio, Nauck. p. 147, sed hujus fabulae alia conditio est, quum diserte altera, ne dicam prior fabula appelletur Θυέστης ἐν Σικυῶνι.

IX. Alia enim ratio titulorum duplicium est, partim ab ipsis poetis profectorum partim a commentatoribus sive didascaliarum sive fabularum additorum. Ipsis poetis fortasse hi tituli debentur: Ἀγωνίς ἢ Ἱππίσκος fab. Alexidis, Mein. Com. I p. 385; Ἀνατιθεμένη ἢ Μεσσηνία Menandri; Mein. IV p. 78; Ἀνδρόγυνος ἢ Κρής Menandri, Mein. IV p. 85; Ἀποκαρτερῶν ἢ Φιλάδελφοι Apollodori, Mein. Com. I p. 459; Ἀρρηφόρος ἢ Αὐλητρίς Menandri, Mein. IV p. 88; Ἀσκηταί ἢ Ὅμηρος Metagenis, Mein. I p. 122; Ἄσωτοι ἢ Ἐπιστολή Eutyclis, Mein. I p. 269; Ἰκάριοι ἢ Σάτυροι Timoclis, Mein. I p. 429; Κνοιθιδεύς ἢ Γάστρων Antiphanis, Mein. I p. 331; Κρατεύας ἢ Φαρμακοπώλης Alexidis, Mein. I p. 388; Μανέκτωρ ἢ Ἑρμιονεύς Menecratis, Mein. I p. 493;

Μετιῶν ἢ Ζωμίον Philemonis, Mein. I p. 13; Προικιζομένη ἢ Ἱματιόπωλις, Mein. I p. 466; Προσουσία ἢ Κύκνος Eubuli, Mein. I p. 366; Πτωχή ἢ Ῥοδία Philemonis, Mein. IV p. 21; Τριόδους ἢ Ῥωποπώλης Philippidis sec., Mein. I p. 474; Ὑάκινθος ἢ Πορνοβοσκός Anaxilae, Mein. I. p. 409; Φάσμα ἢ Φιλάργυρος Theogneti, Mein. I p. 487; Φιλόκαλος ἢ Νύμφαι Alexidis, Mein. I p. 403. — Fateor me haec posuisse, non exposuisse; sed ipsorum titulorum indole adducebar, qui nomina maxime inter se diversa continerent. Ceterum hunc catalogum tantum mediae et novae comoediae fabulas praebere animadvertas; neque ab indole huius comoediae alienum dixerim titulorum splendorem. Contra, ubi eiusdem nominis complures fabulae editae sunt aut ubi alter fabulae titulus quasi synonymus est, eum a commentatoribus additum dixerim. Quod accidisse puto Ἀγαθοῖς Strattidis, Mein. I p. 224; Ἀγροίκοις Antiphanis, Mein. I p. 331 et Menandri, Mein. IV p. 211; Ἀστρατεύτοις Eupolidis, Mein I p. 116; Αὐλητρίδι Antiphanis, Mein. I p. 333 et Menandri, Mein. IV p. 88; Φιλεταίρῳ Alexidis, Mein. I p. 388; Νήσοις Platonis, Mein. I p. 169; Ἐμπιπραμένοις Cratini, Mein. I p. 57; Ἐπιλήσμονι Pherecratis, Mein. I p. 82; Εὐνούχῳ Diphili, Mein I p. 451; Ζωγράφοις Anaxandridis, Mein. I p. 370; Θορικίοις Antiphanis, Mein. I p. 331; Ἰπνῷ Pherecratis, Mein. I p. 83; Κενταύρῳ Timoclis, Mein. I p. 429; Κέρκωψι Platonis, Mein. I p. 176; Λάκωσιν Eubuli et Platonis, Mein. Com. I p. 115. 163; Λευκαδίᾳ Alexidis, Mein. I p. 401; Μακεδόσι Strattidis, Mein. I p. 227. 231; Ξάνταις Platonis, Mein. I, p. 176; Ὀδυσσεῖ Eubuli, Mein. I p. 365; Οἰνομάῳ Antiphanis et Eubuli, Mein. I p. 325. 365; Ὁμοίοις Ephippi, Mein. I p. 353; Παννυχίδι Alexidis, Mein. I p. 401; Πέρσαις Chionidis, Mein. I p. 29; Πλυντρίαις Philyllii, Mein. I p. 260; Σκύθαις Antiphanis, Mein. I p. 330; Στρατιώτῃ eiusdem, Mein. I p. 336; Τοξιστῇ Alexidis, Mein. I p. 402; Τραγῳδοῖς Phrynichi, Mein. I p. 158; Τυνδάρεῳ Sophili, Mein. I p. 425; Φαίδωνι Alexidis, Mein. I p. 385. Ceterum aliquot titulos, qui in catalogo apud Meinekium exstant, praetermisi dubius utri ordini tribuerem. Rarius uterque titulus ab Athenaeo, Stobaeo, lexico-

graphis, aliis apponitur, saepissime tantum alter laudatur quum prior tum posterior.

E tragicorum fabulis tantum modo unam index Nauckii indicat duplici titulo usam, Aeschyli Σεμέλην ἢ Ὑδροφόρους$_2$ p. 56, semel utroque titulo laudatam, ter Σεμέλην. Quam fabulam ab ipso poeta Ὑδροφόρους appellatam censeo, a grammaticis vero additum titulum Σεμέλην, quo discerneretur a cognomine fabula Sophoclis, quam idem argumentum tractasse suspicatur Nauckius p. 57. 221. — Vnde colligas usum titulorum duplicium praecipue mediae novaeque comoediae poetis proprium fuisse; antiquae comoediae poetas fere abstinuisse fabulis dupliciter inscribendis, tragicos denique poetas vel ignorasse hunc usum.

X. Iam ad aliud titulorum pleniorum genus accedimus, item a commentatoribus grammaticisque profectum, et frequentius in tragicorum quam in comicorum fabulis adhibitum, quandoquidem utriusque generis fabularum titulos superstites vel numerum titulorum superstitum respicimus. Fabulis enim sive unius sive diversorum poetarum eodem titulo inscriptis explicationem quandam reperimus additam, quae quod sit argumentum fabulae, neve confundatur cum fabula cognomine, indicat. — Ita Alcaei Ἀδελφαὶ μοιχευόμεναι, licet semel ab uno Athenaeo VII p. 316 b citentur, aut Ἀδελφαί in didascaliis aut Μοιχευόμεναι audivisse censeo, atque aut Ἀδελφαί explicationis aut Μοιχ. discriminis causa additum; cf. Mein. I p. 246, II p. 824. De Aristomenis fabula Διόνυσος ἀσκητής vid. Mein. I p. 212, II p. 733. Bergk. Rel. Com. p. 451 titulum Διόνυσος ἢ Ἀσκητής fuisse coniecit. Quod ita probavit Meinekius, ut vel duas fabulae editiones fuisse colligeret. Sed bis Athenaeus Διόνυσον laudat, itaque ἀσκητής additamentum a Polluce III, 150 servatum. Quamquam Athenaeus quam negligenter citaverit, multis locis intelligas, e. g. XIV p. 650 e Ἄλεξις Μνηστῆρσι citatum, quum titulus fabulae fuerit Ἑλένης μνηστῆρες, cf. Mein. C. III p. 712. In Strattidis fabula Ζώπυρος περικαιόμενος, utrum sit additamentum propter fragmentorum penuriam ambigo; Mein. I p. 225, II p. 767. Archippi Ἡρακλῆς γαμῶν semper pleno titulo citatur; Mein. I

p. 208; II p. 716; item Nicocharis Ἡρακλῆς χορηγός, Mein. I p. 255, II p. 843; eiusdem Ἡρακλῆς γαμῶν solo Polluce nititur VII, 40 corrupte citanti, Mein. l. l. Contra Alexidis fabulae Ὀδυσσεὺς ἀπονιπτόμενος et Ὀδυσσεὺς ὑφαίνων non aliter se habent quam Euripidis Melanippe, Sophoclis Oedipus, Aristophanis Thesmophoriazusae, de quibus infra; additum igitur epitheton a sequioribus; Mein. I p. 392, III p. 454. Eodem iure titulus poterat inscribi Ὀδ. ἢ Ἀπονιπτ, Ὀδ. ἢ Ὑφαίνων. — Leuconis fabula Ὄνος ἀσκοφόρος, Boeckh. Staatsh. I p. 347, Mein. I p. 217, fortasse Suida duce in duas dirimenda; aut ἀσκοφόρος additamentum est vel etiam ὄνος. Nonne etiam Πρέσβεις, Leuconis fabula, poterat Ἀσκοφόροι inscripta esse?

XI. Tragicorum dramatis, quae titulo pleniore inscripta sunt, facile simpliciorem restitues duce argumento ad Sophoclis Aiacem et Oedipum Tyrannum, quo de vid. infr. Σατυρικός ubique additamentum est ex loco, quem fabula in monumento didascalico obtinebat, sumtum. Praeterea Αἴας duplex Sophoclis fabula neque α′ β′ in didascaliis neque pleniore cognomine distincta erat. Vid. Nauck. p. 104. Similiter Astydamantis minoris Αἴας μαινόμενος simpliciter audiebat Αἴας, Nauck. p. 603. Neque Ἀλκμέων ὁ διὰ Ψωφῖδος, quamquam ita in fragm. didascalico ad Eur. Alcest. appellatur, genuinum fuisse nomen contendo, sed simplicius Ἀλκμέων, ut alter ὁ διὰ Κορίνθου item Ἀλκμέων. Vtraque fabula et apposito et omisso cognomine citatur, Nauck. p. 302 sqq. Ἀργὼ ἢ κωπαστής Aeschyli in catalogo hoc titulo exstat; citatur omisso, Nauck. p. 7. Dindorfius drama satyricum fuisse coniecit. Fortasse in catalogo scribendum ἢ κωπαστής. Chaeremonis Ἀχιλλεὺς Θερσιτοκτόνος Θερσίτης simpliciter Suidae laudatur, quod verus videtur titulus fuisse dramatis, ut bene Nauckius suspicatur, satyrici, p. 607. Aeschyli Γλαῦκος πόντιος et Γλ. ποτνιεύς saepius omisso additamento laudantur. Vide an sit in didascalia notissima Ποτνιεύς legendum, quum quae supersunt ex Glauco Ποντίῳ frustula, potius σάτυρον oleant. Nauck. p. 8. 10. De Ἑλένης ἀπαίτησις et Ἑ. γάμος dubito num Ἑλένη fuerit fabularum titulus; citantur

quidem semper pleniore titulo, Nauck. p. 136 sq. — Porro de variis fabulae Sophoclis satyricae titulis Ἡρακλῆς, Ἡρακλῆς ἐπὶ Ταινάρῳ etc. iam Nauckius disputavit p. 142, fuisseque titulum Ἡ. ἐπὶ Ταινάρῳ. Sed fuerit Ἡρακλῆς aut Ἡρακλεΐσκος. Reliqua additamenta sunt. Item Euripidis Ἡρακλῆς μαινόμενος simpliciter in didascaliis audiebat Ἡρακλῆς. — De Hippolyto iam supra monuimus: καλυπτόμενος prioris fabulae cognomen a posteris additum, ut superstitis cognomen στεφανίας commentatores addiderunt, id quod diserte argumenti scriptor videtur testari. Accedit quod fragmenta fabulae deperditae simpliciter apposito Ἱππολύτῳ laudantur, excepto Polluce IX, 50. Ipsa vero additamenta καλυπτόμενος et στεφανίας, tum id quod de priore fabula vitae scriptor narrat, fabulas diversas inter se fuisse ostendunt. Cf. Nauck. p. 390. Neque aliter de utraque Iphigenia Euripidis iudicare possumus, quamquam fragmentum didascalicum, quod exstat in schol. Ran. 67, 'Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι exhibet.' Quae fabula utrum retractata an iterum commissa an post obitum auctoris primum edita sit, inter viros doctos disceptatur. Qua de re vide infra. Porro utraque Melanippa eiusdem poetae, ἡ σοφή et ἡ δεσμῶτις, et addito et omisso cognomine a scriptoribus laudatur. Diversas esse fabulas argumentis certis constat, vid. Nauck. p. 404. 406. Quod idem dicendum est de fabulis Sophoclis, quae Ναύπλιος inscribebantur duae quaeque a fabulis Astydamantis, Philoclis, aliorum cognominibus, ipsis fortasse suo additamento usis, discernendae erant. Nauck. p. 177. 604. Idem porro de fabulis, quae Ὀδυσσεύς et Οἰδίπους inscribuntur, iudicandum, quippe haec argumenta non solum a Sophocle sed ab aliis quoque poetis prae reliquis tractata esse fabularum catalogus ostendit. — Aeschyli rursus fabulae Promethei nomine usae, aut praemisso tetralogiae nomine Προμήθεια simpliciter audiebant Πυρφόρος, Δεσμώτης, Λυόμενος aut semel praeposito Προμηθεύς: drama vero satyricum Πυρκαεύς inscriptum fuisse crediderim. Fragmenta ut reliquarum fabularum et utroque et omisso titulo altero citantur. Denique Sophoclis Philoctetes ὁ ἐν Τροίᾳ partim omissa partim addita explicatione

citatur, Nauck. p. 225; praeter superstitem fabulam aliorum tragicorum sat multorum Philoctetes memoratur, Aeschyli, Achaei, Euripidis, Philoclis, aliorum. Verum haec hactenus: sciens praetermisi aliquot fabularum titulos, quum nec defendant magnopere nec refutent sententiam nostram de fabularum titulis.

XII. Quod simplices titulos fabularum auctoribus et didascaliis, pleniores commentatoribus deberi dixi, id luculenter defenditur argumentis ad Sophoclis Aiacem, Oedipum Regem, Aeschyli Prometheum, Septem adv. Thebas, Euripidis Phoenissas, Rhesum, Hippolytum. Arg. Aiac. — τῇ ἐπιγραφῇ πρόσκειται ὁ Μαστιγοφόρος ἢ πρὸς ἀντιδιαστολὴν τοῦ Λοκροῦ. Δικαίαρχος δὲ Αἴαντος θάνατον ἐπιγράφει· ἐν δὲ ταῖς διδασκαλίαις ψιλῶς Αἴας ἀναγέγραπται. Hinc colligimus, vocem ἐπιγραφή duplici sensu usam esse, significat enim et titulum simplicem ut in arg. Thesmoph. ἀπὸ δὲ τῶν θεσμοφορίων· τὰς Θεσμοφοριαζούσας γυναῖκας ἐπέγραψεν, in arg. Pluti ἐπιγέγραπται δὲ τὸ δρᾶμα Πλοῦτος Ἀριστοφάνους, et additamentum tituli; ἀναγράφειν vero, ἀναγράφεσθαι didascaliarum verbum proprium est, quae τὸ ἀναγεγραμμένον δρᾶμα φέρουσι = exhibent, schol. Nub. 552, arg. Rhesi, al. Arg. Oed. ὁ Τύραννος Οἰδίπους ἐπὶ διακρίσει θατέρου ἐπιγέγραπται: h. e. οὗτος ὁ Οἰδ. ἐπιγέγραπται Τύραννος. — χαριέντως δὲ Τύραννον ἅπαντες αὐτὸν ἐπέγραφον, ὡς ἐξέχοντα πάσης τῆς Σοφοκλέους ποιήσεως, καίπερ ἡττηθέντα ὑπὸ Φιλοκλέους, ὥς φησι Δικαίαρχος. Vltima ὥς φ. Δ. ad verba χαριέντως — ποιήσεως magis quam ad καίπερ — Φιλοκλέους pertinent. — εἰσὶ δὲ καὶ οἱ Πρότερον αὐτὸν οὐ Τύραννον ἐπιγράφοντες διὰ τοὺς χρόνους τῶν διδασκαλιῶν καὶ διὰ τὰ πράγματα. Eodem prorsus sensu ἐπιγράφειν dictum in fine argumenti ad Prometh. ἡ δὲ ἐπιγραφὴ τούτου Προμηθεὺς δεσμώτης, et ad Septem a. T. ἐπιγέγραπται δὲ ὑπόθεσις τῶν Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας: quippe tituli sinceri fuerint ὁ Δεσμώτης et οἱ Ἑπτά. Porro arg. Phoen. ἐπιγέγραπται δὲ ἀπὸ τοῦ χοροῦ Εὐριπίδου Φοίνισσαι πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας Αἰσχύλου: quasi in didascaliis fuisset idem fabulae nomen Euripideae Ἑπτὰ ἐπὶ Θ., vel, quod credibile non est, etiam Aeschyleae primo Φοίνισσαι. — De Rheso, fabula iam editoribus anti-

quis suspecta, argumenti scriptor: ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις ὡς γνήσιον ἀναγέγραπται. Pro ἐπιγραφόμενος arg. Hippolyti praebet προσαγορευόμενος: ἐστὶ δὲ οὗτος Ἱππόλυτος δεύτερος καὶ Στεφανίας προσαγορευόμενος· ἐμφαίνεται δὲ ὕστερον γεγραμμένος, quae verba plane conferas cum arg. Oed. T. — Iam hic repetere debebam nonnulla, quae supra ex Athenaeo delibaveram IX p. 496 e, XIV p. 663 c, quibus usus verbi ἐπιγράφειν, addere, explicare, addendo explicare, satis ostenderetur; sed ad reliqua transeundum. — Qui fuerunt οἱ ἐπιγράφοντες, auctores titulorum pleniorum aut duplicium? Dicaearchum quidem ex arg. Aiacis, Oedipi; Callimachum ex Athenaeo IX p. 496 e, e Tzetza scholioque illo Plautino; Cratetem ex arg. Arist. Pacis novimus, verum etiam plures ex Alexandrinis et Pergamenis huic explicandi, comparandi, addendi negotio operam suam impendisse vel ex argumentis, quibus praepositum est Aristophanis Byzantii nomen, videtur mihi patere. Omnes hae grammaticorum illustrium disquisitiones de fabulis literariae artissime inter se coniunctae erant: neque unum solummodo de μυθοποιίᾳ, alterum de διδασκαλίᾳ, alium de ἐπιγραφαῖς egisse crediderim, sed alium alii suppeditasse auxiliumque tulisse, aut alium ab alio mutuatum esse deque suo addidisse, si quid novi aliunde haberet. Ceterum de Callimacho aliisque vid. Proleg. ad Vesp. p. 17 sqq.

XIII. Iam, ut ad Comicum oratio tandem se referat, restat, ut fabulas eius et dupliciter inscriptas et numero α′ β′ signatas enumeremus. De fabulis duabus Δράματα inscriptis recte iudicavit Bergkius ap. Mein. Com. II p. 1055, quod diversas inter se fuisse contra Dindorfium Ar. II p. 505 sqq. p. 604 recensionis duplicis defensorem dixit. Laudantur autem et pleniore titulo et simplici Δράμασι vel Κενταύρῳ vel etiam, ut videtur, Νιόβῳ. Vtraque igitur fabula Comicus tragoedias quasdam videtur irrisisse, quemadmodum etiam alibi Herculem solebat perstringere a tragicis saepissime in scenam vocatum; ita Niobo fortasse Aeschyli Nioben, postea Ran. 911 sqq. 920 lepidissime exagitatam, permutavit in Niobum, aut Niobidarum patrem fictum aut filium patri similem, gulosum, pavidum, superstitiosum,

incomtum. Niobumne ad instar Niobes Aeschyleae ἐν πέντε σιαύραις ἐγκεκορδυλημένον procubuisse per fabulam otiosum credamus? E fragmentis quidem colligi licet nihil, nec de tempore fabularum quidquam affirmari, nisi quod quum Chaerephon (ap. schol. Plat. p. 331 Bekk.) κλέπτης vocatus sit atque urbs Athenarum Βύρσα (Hesych. s. v.), fabularum vel alteram vel utramque priori Comici aetati tribuendas esse suspicari possumus. Ceterum vid. G. Herm. Opusc. III p. 37 sqq. Fritzsch. de Aesch. Niobe progr. a. 1836. — De Thesmophoriazusis secundis post Casaubonum ad Athen. I c. 23 p. 67 diligenter egerunt Fritzschius in progr. a. 1831, Rankius Vit. Ar. p. 285, Dind. Arist. II p. 503 sq. Bergkius ap. Mein. C. II p. 1074 sq. Quam fabulam proxime post Thesmophoriazusas priores, i. e. superstites, editam esse probabiliter coniecit Bergkius: eamque, ubi scenae commissa fuerit, a poeta simpliciter Θεσμοφοριάζουσαι nominatam esse eodemque titulo in didascaliis usam esse persuasum habeas. Eadem plerumque, quod quum exigui momenti sit obiter moneo, omisso additamento a scriptoribus laudatur. — Plutum priorem, viginti annis ante fabulam superstitem scenae commissam, iam eo quod chori partibus carere non poterat, a posteriore longe diversam fuisse patet. Quod fuerit argumentum fabulae, quum e fragmentis nequaquam possit erui: fabulam superstitem aut retractatam aut repetitam esse cuivis licebit negare, donec certius retractationis vel repetitionis documentum afferatur. Vid. Rank. Vit. Ar. p. 294 et Fr. Ritter. de Ar. Pluto p. 46 sqq. p. 60 sqq. Restat una Nubium fabula, quam retractatam esse inter omnes constat. De cuius fabulae ratione quum post viros doctissimos satis liquide exposuerit Teuffelius in praef. ed. Nub., hoc loco memorandum solummodo est, cecidisse priorem fabulam, quod num alii fabulae Comici unquam acciderit, ut praemio ornaretur tertio, dubito. Huius non est loci causas anquirere, cur fabula ceciderit: tamen post Acharnenses, Equites, Daetalenses, Babylonios Nubium fabulam Atheniensibus minus placuisse, quippe quae aliquam spectatorum eruditionem postularet, non iocos tantum et ludibria, sed cum iocis severa multa intellectuque haud ita

facilia proponeret, id opinor vel ex comparatione Nubium cum reliquis fabulis necessarium apparet esse. Sophoclem scimus saepe quidem secundo, nunquam vero tertio loco nominatum esse. Quod idem Aristophanes videtur appetisse, ita ut cladem istam aegerrime ferret, spectatoresque quasi cogere retractata fabula in animo haberet, ut argumentum Nubium iudicarent gustarentque melius. Neque alium quemquam fabulam, quo meliore praemio ornaretur, retractasse retractatamque scenae commisisse unquam compertum est. Contra certissimum opinor est, Nubes superstites nunquam ab Atheniensibus spectatas esse. Qui sic? Primum quod didascaliae eas repetitas esse negant; deinde ad fabulas repetendas tempus spectaculis concessum suffecisse nemo est qui possit demonstrare. Quamvis perquam sit difficile, certum annorum numerum comoediae concedere, illi scilicet comoediae, quae senis per annum fabulis repraesentabatur, tamen quinquaginta demus, exorsi ab anno Morychidis archontis atque ad didascaliam Pluti alterius progressi. Iam si poetarum a Meinekio recensitorum fabulas, quas Suidas et Eudocia, ut alios omittam, non omnes nominasse perspicuum est, enumeramus, ita tamen ut a Cratino initium faciamus, summa fere trecentarum quinquaginta sex fabularum efficitur. Scriptor aliquis περὶ κωμῳδίας ap. Meinekium C. I p. 535: καὶ φέρεται αὐτῶν πάντα τὰ δράματα τξε′ σὺν τοῖς ψευδεπιγράφοις: qui tamen quum inter praestantissimos nominaverit Epicharmum et Magnetem, a primordiis videtur computasse. Atqui Epicharmum Suidas Syracusis docuisse refert; tum vero quando Athenienses didascaliis uti inceperint prorsus incertum, ita ut istud φέρεται non potuerit de omnibus comoediae antiquae poetis usurpari. Missis igitur eius modi scriptoribus vel sexaginta annos comoediae antiquae concedere nobis licebit, quibus copia fabularum suppetat ita ut singulis annis senas comoedias tribuere possimus. Quo iam calculo quominus fabulis repetendis tempus locumve concedamus impedimur. — Placuitne denique Atheniensibus fabulas retractatas spectare, etiamsi tempus spectandi suppetivisset? Nonne potius fabulis semper novis delectari consuerant? Quippe et comoediae et

magnam partem tragoediae temporibus describendis vel ipsi anno, quo ederentur, pingendo inserviebant. Num ergo credibile est Equites, Aves, Acharnenses, Daetalenses, Babylonios, ut reliquas taceam, unquam repetitas esse aut repetitas plausum movisse spectantium? Porro quum bis per annum trinas fabulas licuerit spectare, num fabulam quam anno ante vel plausu probavissent vel sibilis explosissent, iterum vel integram vel retractatam doceri maluerunt, quam novam scenae committi? Itaque quum nec tempus suffecerit ad repetendas fabulas nec spectatorum indoles fuerit talis ut fabulas repetitas retractatasve humaniter sustineret, factum est ut retractationis alicuius vel repetitionis perrara esset mentio. Vna Nubium est fabula, quam retractatam esse, non repetitam certis testimoniis constat, una Ranarum fabula, quam repetitam non retractatam esse Dicaearchus ex aliquo fragmento didascalico sive ex ipso didascaliae exemplo Aristotelico tradidit. Inde colligas aut Comicum noluisse committere iterum aut cives eius noluisse iterum spectare Nubes: Nubium autem retractationem, ut ea est non perfecta neque absoluta, ad suam ipsius quasi defensionem Comicum scripsisse publicique fecisse iuris: noluisse denique Athenienses fabulam, quae semel cecidisset, ne correctam quidem spectare. Contra Ranas eodem vestigio, h. e. iisdem Dionysiis bis doctam esse suspicabar Proleg. ad Vesp., atque in tabulis didascalicis hanc duplicem commissionem, victoriam simplicem perscriptam esse. Quod ipsa me docuerunt argumenti sive Dicaearchi verba οὕτω δὲ ἐθαυμάσθη — ὥστε καὶ ἀνεδιδάχθη. Quo tempore e. g. Oedipum Coloneum Sophoclis nepotem docuisse tradit argumenti scriptor, i. e. repetivisse, Ol. 94, 4. An anno post vel altero anno post repetita est tristissimo reipublicae statu, ipsis temporibus novarum fabularum commissiones vetantibus? Vtut statuis, vides exemplorum paucitatem prope singularem, eamque in comoedia etiam magis conspicuam quam in tragoedia. Namque comoedias post auctoris mortem etiam in scena versatas esse, quis credat, quis defendat? Defuissent spectatores, non intellexissent quidquam, multo minus mehercule quam nos, qui doctorum hominum commentariis

nitimur. Tragoedias vero principum tragicorum maxime a filiis commissas esse novimus: quas paene omnes novas atque adhuc ineditas fuisse si non constat, certe tamen negari nequit. Suid. s. v. Εὐφορίων: — ὃς καὶ τοῖς τοῦ πατρός, οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμενος, τετράκις ἐνίκησεν. Quo pertinet quod de Euripidis Iphigenia Aulidensi traditum est, quo de vid. Boeckhium Tr. gr. pr. p. 213. 222, porro quod de Iophonte narratur cum patris tragoediis prodeunte, et quae sunt similia; cf. Boeckh. l. l. p. 31 sqq. 115 sqq. Accedit quod tragoediae extra Atticae fines docebantur in multis urbibus, qua de re nominare sufficit Grysarii libellum: De Gr. tr. — c. t. Demosth. a. 1831. — Accedunt praeterea alia quaedam, ut interpolationes histrionum, retractationes et recensiones sequiorum; accedunt Athenaei, Galeni, aliorum narrationes περὶ διασκευῆς satis frequentes. Quibus omnibus contradicere non est virium mearum nec huius loci. Equidem persuasum habeo, Athenaeum paullo levius usum esse voce διασκευή, διασκευάζειν similibus; Galenum autem potissimum de retractatione scriptionum pedestrium, i. e. philosophicarum, medicarum sententiam ferre voluisse; denique recentiores omnes facilius de retractatis fabulis locutos esse quam in naturam retractationis indagasse finesque circumscripsisse. Quare egomet — manum de tabula.

XIV. Tandem aliquando ad id argumentum Pacis revertimur, quod didascalicum alterum nuncupare nobis liceat. De quo quum praeter alios Dindorfius Vol. II p. 504 sq., Rankius Vita Ar. p. 282 sqq., Bergkius Ar. fr. ap. Meinekium C. II p. 1063 sententiam tulerint, non satis didascaliarum auctoritatis rationem habuerunt. Etenim aut fabulam, Pax inscriptam, et editam in scenamque commissam et praemio ornatam cumque reliquis eiusdem commissionis fabulis tabulae didascalicae inscriptam esse certissimum est, aut Eratosthenem et Cratetem erravisse vel etiam mentitos esse item certissimum. His igitur duobus fundamentis omnis disputatio nititur, didascaliis quas inspexisse Eratosthenem genuinas certis testimoniis constat et ipsius Eratosthenis Cratetisque auctoritate. Iam ex altero fragmento didascalico quamvis lacero Pacem superstitem secundo praemio ornatam

esse novimus. Quis ergo eam retractatam credat? Minus quidem ea placet Bergkio l. l. p. 1064, minus iam comicis aequalibus, ut schol. Platonis narrat p. 331 Bekk. κωμῳδεῖται δὲ ὅτι καὶ τὸ τῆς Εἰρήνης κολοσσικὸν ἐξῆρεν ἄγαλμα, Εὔπολις Αὐτολύκῳ, Πλάτων Νίκαις: sed tamen recte Rankius l. l. p. 285 Pacem, quod praemio secundo ornata esset, neque correctam iterum in theatro in certamen committi neque eo modo, quo Ranae bis doctae essent, repeti potuisse iudicavit. Vnum relinquitur, ut Pacem superstitem recensionem prioris, quae quidem cecidisset, fuisse censeamus. Quod quominus statuamus obstant multa. Ac primum quidem cui tandem anno fabulam tribuamus? Supersunt quidem Lenaea anni 423, Dionysia a. 424. 425, Lenaea a. 426, Lenaea vel Dionysia a. 427: accedit quod Crates secundum argumentum didascalicum uno conspectu nominavit Acharnenses, Babylonios, Pacem alteram: denique Comicus ab initio belli vel ex quo fabulas docere coepit, pacis laudator strenuus est, ita ut si Acharnensium fabula Pacis nomine uteretur, profecto non mirareris. Verumenimvero et alias fabulas his temporibus assignari oportet, ut Holcades, de quibus probabiliter disputavit Bergkius l. l. p. 1113 sqq. et Comico primis temporibus bis per annum docere concessum fuisse negaverim. Tum vero, quod maximi momenti esse duco, Pacem alteram posteriorem superstite fuisse ex ipsis Eratosthenis verbis liquidissime patet: ἄδηλον οὖν φησιν Ἐρατοσθένης πότερον τὴν αὐτὴν ἀνεδίδαξεν, ἢ ἑτέραν καθῆκεν ἥτις οὐ σώζεται. Quae verba fieri non potest quin ita intelligamus, Eratosthenem in catalogo vel opere didascalico repperisse alteram Pacem aliquot annis post superstitem inscriptam nullo additamento, ut supra monui, sed simpliciter Εἰρήνῃ vocatam. Quam quum ipse ex causis quibusdam non inspexisset, utrum repetitam an novam appellaret dubitabat. Luce enim clarius est, τὴν αὐτήν, quam vocat, fabulam superstitem esse. Itaque quum nec retractata nec repetita potuerit esse, novam fabulam fuisse necesse est: ita novam dixerim, ut simulacrum Pacis ab Eupolide et Platone derisum in ea non conspiceretur, dimidia ergo fabulae pars eaque quantum equidem video, pace

dixerim veterum criticorum, longe optima ac bellissima prorsus nova redderetur, reliqua igitur aeque nova prodiret. Fragmenta quae supersunt aliquam cum Pace superstite similitudinem habere, nihil mirum. Pacis bona laudantur, quae eadem ubique sunt, arma respuuntur ut in Pace superstite, minatur Comicus pacis osoribus ut in Pace priore, — denique multa vel invito poeta repetuntur, sed alio ordine, alia ratione. Etenim fragmenta quae hoc loco repetere non est necessarium, agriculturae deam celebratam esse ostendunt; inter quae longissimum ita est comparatum ut Dindorfius idem Menandro vindicare vellet. Ac profecto omni acerbitate, lascivia, audacia frustula ista carent, ut si tempore pacis alterius, post lugubre Athenarum fatum, anno post Ranarum commissionem proximo, Pacem hanc alteram, mansuetam illam ac timidam, scenae commissam esse dixerim, certe neque didascalica fragmenta neque ipsius fabulae frusta repugnent. Quemadmodum autem cum Acharnensibus comparari licet Pacem priorem, ita cum Lysistrata posteriorem. Paullatim exstinctum reperies poetae summi rigorem: cessit temporum malignitati. Sub triginta tyrannis Musam colere taedebat eum; qui Cleonem τοιοῦτον ἰδὼν τέρας οὐ κατέδεισεν.

CAPVT ALTERVM.

DE SCENA PACIS.

I. De scena theatri Attici quum veterum testimonia tum nostratium sententiae tantopere inter se differunt, ut, quid statuas, etiam post novissimas Schoenbornii curas plane sit incertum. Etenim veterum, qui vocantur, scriptorum testimonia ex magna parte satis recentis aetatis longeque ab ipsarum didascaliarum tempore remotae, ita ut, lexicographi, scholiastae, Lucianus, Plutarchus, scriptores Romani, alii, num quid accuratius de scena Attica perspectum habuerint, quam qui ipsis fabulis superstitibus nisi scenam describere conati sint nostrates, iure meritoque possis quaerere. Nos rursus ipsorum, quos auctores non satis certos esse profitemur, verbis vel utimur vel abutimur, iisdem et nitimur et carere nos posse gloriamur, prout fabulae cuiusque natura fert. Quid igitur mirum, quod in proverbium abire possit etiam hoc: quot scenarum scriptores tot scenae? Quam tamen unam eandemque esse scenam oportebat, utpote genuinam vereque Atticam. Quod quum ad liquidum perduci iam non possit, quae scenae Atticae nedum comicae forma genuina ac natura fuerit: unum relinquitur, ut ex ipsis fabulis speciem quandam atque imaginem eruamus, quae licet vera non sit, tamen possit vera esse. Neve id temere faciamus, ipsa testimoniorum natura cogit, quippe quae nobis arbitrio nostro uti permittat. Qui sic? Nempe duae sunt in historia theatri Attici res magni momenti, quas veras esse ac ratas scriptores rerum scenicarum fere consentiunt, quarum altera a lexicographis, altera a Plutarcho

traditur, initium dico exaedificandi theatri Athenarum lapidei, et perfectionem eiusdem Lycurgeam. Iam si verum est, quod Plutarchus et Pausanias narrant, Lycurgum perfecisse et quasi coronasse opus a superioribus inchoatum, item si non habemus, quo refellamus Photium, Hesychium, Suidam, Eustathium alios, lignea fuisse subsellia saeptaque antequam magnum Dionysi theatrum in ipsa Acropolios rupe exstrueretur, referentes, neque Suidam erroris coarguere possumus, haec ἴκρια circa Olymp. 70 in certamine Aeschyli Choerili Pratinae corruisse narrantem: sequitur, uti Athenienses florentissimis rebus, ipsa comoediae tragoediaeque aetate aurea theatro scenaque usos esse non ab omni parte perfectis atque absolutis concedamus. Sequitur porro id quod iam minus affirmaverim, ut prius spectatorum sedes exstructae sint quam actorum, theatrum quam scena. Quod ita fuisse testis egregius exstat ὁ θεῖος in Convivio p. 175 e, item testis haud sane impar Comicus in Vespis 1010. Num ergo theatrum quidem perfectum, scena per totam hanc quam auream dixi aetatem non perfecta fuit? Quis credat? quis defendat? quum scriptores rerum scenicarum veteres Sophoclem et Cratinum, alterum tragoediam alterum comoediam, quod et ad actores et ad scenae quasi leges institutaque pertineret, perfecisse atque absolvisse memoriae prodiderint; idque Aristotele duce, quem de genere fabularum utroque idem sensisse scimus. Itaque perfectio theatri scenaeque Lycurgea vide ne sit exigua quaedam ac pusilla talisque qualem O. Muellerus aliique existimaverunt esse, exornatio nimirum aedificii dudum perfecti ultima. Nam quod Fritzschius, de Lenaeis p. 37, contendit, ab ipso Lycurgo demum theatrum Athenis et coeptum esse aedificari et absolutum esse, Athenienses autem ad id usque tempus in ligneo theatro post collapsa Ol. 70 subsellia exstructo fabulas spectavisse; contra Piraeenses in theatro lapideo, circa Ol. 86 Periclis consilio atque auctoritate aedificato consedisse: id ratione sana magis reque ipsa quam liquidis testimoniis refutare cogimur. Certe ab auctoribus testibusque idoneis destituti ad ingentem spectatorum numerum, ad ipsas fabularum e. g. Promethei, Eumenidum, Avium, Pacis, aliarum compositiones

confugimus demonstraturi aut commissionem fabularum dignam fuisse et spectatoribus et poetis, aut historiam comoediae tragoediaeque Atticae iam non exstare talem, qualem periti harum rerum ad unum omnes adhuc in mente oculisque et habuerint et habeant. Qua in scenae imagine si quid a nobis peccatum fuerit, meminerit lector aequus, nos fundamentis certis in scena depingenda prorsus carere. Theatrum enim Aspendicum, quo Schoenbornii doctrina nititur tota, et Romanum est et longo post theatri Attici aetatem intervallo aedificatum. Item si forte iusto plus suspicionibus et coniecturis concessisse videbimur, meminerit lector aequus ac peritus, longe maximam partem disputationum de theatro Attico eiusque historia in coniecturis positam esse. Etenim, ut unum afferam, quot dies festi Dionysiorum, quot dies spectaculorum fuerint, quis est qui etiam post Boeckhii Fritzschiique curas affirmare possit? Iam plerique, inprimis librorum de theatro Attico scriptores Boeckhium sequuntur magistrum, neque tamen quae Fritzschius contra virum summum disputavit in commentatione de Lenaeis reiicienda sunt. Ita prorsus in describenda Pacis scena si quid novi attulero, aliorum sententias a me nec refutatas nec reiectas esse scito.

II. Fabulae igitur quum tragicae tum vero comicae, quae supersunt, scenam requirunt opere et artificio exstructam. Quam quidem sive lignea fuerit, sive e lapide facta, primis theatri temporibus stabilem fuisse atque immobilem omnes consentiunt. Huius scenae simplicitas, qua species quaedam palatiorum vel aedificii regii ostenderetur, quum fabularum sensim varietatem maiorem spectantium indoli iam non conveniret, ab Aeschylo provisum est multoque magis a Sophocle, scenae tragicae perfectore, ut civibus praeter perpetuas istas ianuas domus regiae tres etiam alia quaedam, arbores, rupes, similia liceret spectare. Inde scenarum pictura, ἡ σκηνογραφία, orta est, quae utrum ligno an lino, in quo scenae imago pingeretur, usa sit nescitur. Hanc ergo picturam, hoc pictum lignum linumve scenae stabilis simul velamen fuisse per se patet. Iam vero hanc picturam, quum crescente in dies ludorum studio saepius tragici poetae

adhibuerint varietatem fabularum quaesituri, saepissime tamen, quin etiam perpetuo comici poetae adhibere ipsa comoediae natura, a rebus circa aulam regiam versantibus alienissima cogebantur. Ita fabula Comici unaquaeque suam sibi requirit scenam, aut partem aliquam urbis aut domum civis simplicem nulloque apparatu ostendentem, excepta Ranarum fabula, quae fortasse scena quasi tragica usa est. Praeterea, agamus enim solummodo de fabulis superstitibus, in Acharnensibus, Nubibus, Vespis, Pace, Avibus, Ranis, Lysistrata duplici scena opus est; res enim aguntur et in plano et in edito loco, et in terra et in coelo vel in aura. In Pace igitur quum res et in terra et in coelo agantur, τὸ θεολογεῖον, institutum proprie tragicum, adhibetur; sed opus est etiam instrumentis, quibus dii tragici deorsum in θεολογεῖον deferuntur, ad actorem comicum sursum evehendum, μηχανὴν dico tragicam sive κράδην comicam. De reliquis rebus, ad Pacem docendam necessariis, veluti de scarabaeo, funibus, Pacis deae simulacro, aliis deinceps agamus.

III. Duae quum sint partes scenae, domus Trygaei et deorum palatia, in utraque autem parte actores versentur, superioris partis picturam, ante quam actores versari possent, aliquantum recessisse oportet. Habet ergo etiam superior scena suum quoddam proscenium, suum pulpitum, id quod θεολογεῖον vocatur in tragoediis, ἐπισκήνιον nisi fallor in comoediis. Scilicet ἐπισκήνιον Hesychius explicat τὸ ἐπὶ τῆς σκηνῆς καταγώγιον, et Pollux IV 130 ἀπὸ (ἐπὶ) τοῦ θεολογείου, ὄντος ὑπὲρ τὴν σκηνήν, ἐν ὕψει ἐπιφαίνονται θεοί. Cui non contradicit Vitruvius VII, 5, quum de scenae simplicis, qualis in plerisque tragoediis saneque multis comoediis fuerit, fastigio atque ornamento loquitur. De quo episcenio falsa est Schoenbornii sententia, nec Iovis palatia conspicua fuisse censentis neque actores nisi ad extremum episcenii marginem progressos, p. 335 sqq. Etenim quae Trygaeus conspicit, eadem spectatores quam maxime necessarium est conspicere, v. 178 sq. Quod vero Schoenbornius Mercurium aliosque recedendo ipso disparere dicit, fallitur prorsus: episcenium vel θεολογεῖον totum patebat spectatoribus ex parte longe maxima

ipso episcenio altius sedentibus. Regia enim comparet Iovis, Bello concessa, regia opinor ad similitudinem regiae domus tragicorum picta; Mercurius ianitoris v. 180 et servi v. 201 sq. officia explet; appropinquante Bello, nunc domino regiae, per servorum ianuam redit, unde venerat, sollicitus ne vapulet, v. 232. Cuius quidem episcenii latitudinem non multo minorem quam ipsius proscenii (de cuius mensura vid. Schoenborn. p. 63 sq.) esse res, quae ibi aguntur, ipsae iubent. Pictura vero in medio episcenio fuerit necesse est, item Trygaei domus in medio scenae pariete; atque ita opinor ut suile unde sursum Trygaeus evehitur et ianua qua Mercurius prodit sibi inter se respondeant lineaque directa contegantur. Ianua igitur quum in sinistra regiae parte sit, etiam suile ad sinistram domus latus exstructum videmus. Cui rei convenit, quod de notione μηχανή vel κράδη lexicographi tradiderunt, Pollux IV, 128 κεῖται κατὰ τὴν ἀριστερὰν πάροδον, ὑπὲρ τὴν σκηνὴν τὸ ὕψος, cf. Hesych. Zonar. s. v. Tria ni fallor huius machinae genera fuerunt eaque in fabularum genere utroque adhibita; quorum unum utrum proprie μηχανή an αἰώρημα vocatum sit ambiguum. Suidas de Bellerophonte s. v. αἰώρημα: μετέωρος δὲ αἴρεται ἐπὶ μηχανῆς· τοῦτο δὲ καλεῖται ἑώρημα, Pegasum videtur μηχανὴν nuncupare; itaque Trygaei scarabaeus item μηχανή. Schol. Pac. 80 eadem. Cf. Suid. Phot. s. v. ἑώρησις. (Alia μηχανῆς explicatio ap. Bekk. Anecd. p. 208, 9). Alterum nomen ἡ ἀγκυρίς, Plut. Prov. 116 — ἀφ' ἧς οἱ ὑποκριταὶ ἐν ταῖς τραγικαῖς μηχαναῖς (scil. quum machinis opus est) ἐξαρτῶνται — ζωστῆρσι καὶ ταινίαις κατειλημμένοι: ancora igitur in zona corpori recincta haerebat. Cf. Flor. Chr. ad Pac. 626. Tertium genus ἡ γέρανος, Pollux IV, 130: μηχάνημά ἐστιν ἐκ μετεώρου καταφερόμενον ἐφ' ἁρπαγῇ σώματος, ᾧ κέχρηται Ἠὼς ἁρπάζουσα τὸ σῶμα τὸ Μέμνονος. Aliter et tanquam de vivis explicant Etym. M. s. v., Bekk. Anecd. p. 232, 5. Ex his igitur tribus generibus, quae nuncupare possumus: das Luftross, der schwebende Engel, der Storchschnabel, equum sibi Comicus elegit, scilicet Pegasum sepedem, scarabaeum impurum. Ratio evolandi haud dubie commodissima erat, qua simul miser Bellero-

phontes aptissime perstringeretur. Differebant porro haec genera ita, ut equus duobus certe vel etiam pluribus funibus egeret, reliqua duo singulis funibus agerentur, quibus nomen est *αἰώραις*, Pollux IV, 131: *αἰώρας δ' ἂν εἴποις τοὺς κάλως οἳ κατήρτηνται ἐξ ὕψους ἀνέχειν ἐπὶ τοῦ ἀέρος φέρεσθαι δοκοῦντας ἥρως ἢ θεούς*. Ceterum longe usitatissima vox *ἡ μηχανή*, non solum unam alteramve machinae speciem significans, ut in fragmento Antiphanis ap. Athen. VI p. 222 a. c, Mein. C. III p. 106 sq. et Alexidis ap. Athen. VI p. 226 a. c, Mein. C. III p. 439; sed etiam funes intelligi iubens, ut in fragmento Cratini ap. Phrynich. Praep. soph. p. 28, 29: *τούτου δ' ἁπάσας ἀποτεμῶ τὰς μηχανάς*, Mein. C. II p. 215. Hinc quod tragici poetae nimis saepe hanc nodi solvendi rationem quaerebant, in proverbium abiit *ἀπὸ μηχανῆς* vel *ἀ. μ. θεός*, a comicis saepenumero deridendi causa dictum, ut Trygaeus plane alter Bellerophon est. Cf. Plat. Clitoph. p. 407 a, Demosth. *πρὸς Βοιωτ.* p. 1026, 1; Plut. Them. 10. 32; Lysand. 25; Arist. Poet. c. 18, 12. 13 et quae Meinekius ad fr. Antiphanis p. 107 congessit, recte opinor emendato scholiasta Aristidis: *ἔχομεν γὰρ πολλάκις ἐν τοῖς κωμικοῖς δράμασι θεοὺς φαινομένους διὰ* (*ἐπὶ* vel *ἀπὸ*?) *μηχανῆς*: quippe reponi iubet *τραγικοῖς*.

IV. De suili pauca addamus. Id igitur ad sinistrum domus latus exstructum ita esse opinor, ut et ianuam habeat proxime domum et foramen prope sinistrum ianuae postem, idque operculo clausum. Pone foramen scarabaei simulacrum conspicuum, ubi operculo demto cibus stercoreus per foramen a servo altero (*α'*) scarabaeo porrigitur. Id quod accidit v. 3, v. 6. 7, v. 9. 10, v. 13. 14, v. 15, ni fallor, v. 18, quinquies igitur aut sexies. Foramen autem operculo tectum esse, versus 5 *ποῦ γὰρ ἦν νῦν δὴ ' φερες* indicat. Neque enim servorum alter *ὁ μάττων*, *ὁ β'* omnino videt scarabaeum, alter *ὁ διδούς*, *ὁ φέρων* dum aperit foramen adspicit monstrum. Itaque *ὁ μάττων*, ut quid agat scarabaeus, ipse quoque intelligat, aperit ianuam paullulum ab epularum loco remotam, et dextrorsum prospiciens beluam videt impigre devorantem: v. 29 sqq. Restat ergo in ianua semia-

perta, sensim introspiciens et cum spectatoribus communicans, quid viderit; eodemque loco subsistit, nisi fallor, ad versum usque 49. 50: quae verba locutus intrat suile. Quod tantum spatii habeat necesse est tantove spatio distet a scena stabili, ut Trygaeus cum hippocantharo suo commode possit sursum protrahi. Parique spatio opinor domus paries distat a scena stabili, ut scenae pictura unum ac perpetuum parietem ostendat. Funes autem sive rudentes iam ab ineunte fabula in conspectu sunt, eodem fortasse quo scenae paries colore, verum etiam alio, si placet. Nam Graeci res miras ac monstruosas, quas percipere difficile esset, nec solebant spectare nec cupiebant, quum spectaculum per se satis miraculi praeberet. Itaque Comicus quum Trygaeum ὦ μηχανοποιέ exclamantem facit, spectatores, ne nimis se decipi patiantur, ingenue monet.

V. Scarabaeus, Pegasus Trygaei sepes, Pegasus fortasse Bellerophontis mutatis scilicet, ut aiunt, mutandis, satis magnum atque horridum monstrum videtur fuisse. Caput ingens, mobile, deorsum nutans, quum corpus sursum protrahitur, naribus auribusque ornatum tanquam equi. Nec freni desunt, quos adhibeat eques cantharo, simul ut nares quae identidem ad stercora praecipites feruntur, sursum trahat, simul ut alas vel iisdem frenis vel loris aliis una moveat eademque virium contentione, simul denique, ut habeat quo se contineat ac sedeat tuto. Sedet autem in tergo canthari crasso et deformi, cruribus ilia premens, ad alas prospiciens naresque et aures, quas ipsum, non machinae totius rectorem movere propterea arbitror, quod procul dubio talis beluae movendae modus et simplicior et facilior est. — Iam quum supra suilis sepem exsurrexit sepes, non leni aequabilique tractu in auras se attollit, sed abrupto, qui metro anapaestico conveniat, cursumque equi citatum, quem nostrates „Galop“ appellant, imitetur. Neque tamen cito assurgit Trygaeus sed lente saepiusque intermisso itinere. Ita v. 91—101 tantum moveri non attolli scarabaeum, v. 102—113 quiescere prorsus, v. 114—123 iterum moveri, v. 124—153 iterum quiescere vel ex metrorum vicissitudine perspicuum est. Metri autem dactylici et anapaestici



numerus quo melius equitando ostendatur, caput pedesque priores monstri altius posterioribus assurgant necesse est; id quod parte corporis priore et attrahenda funibus prioribus et remittenda efficiebatur. Ceterum τοῦ μηχανοποιοῦ est eiusque ministrorum, ut machina recte et aequabiliter oscillet. — Primum igitur subsistit Trygaeus cum machina sua v. 90, cum servo altercaturus, ubi vix supra suile assurrexit; paullatim domus suae altitudinem aequat, quum filiae a servo excitatae e ianua proruunt singulae patremque cursum strenue tenere conspicatae metro loquuntur canuntve una omnes, quo ipsius cursus numerum significent. Mox depresso beluae ardore v. 124 sqq. placide cum patre in scarabaeo aurisque pendente singulae colloquuntur. Pater fere dimidiam itineris partem confecit; reliquum iter a v. 154 eadem ratione conficitur, ita tamen, ut v. 157 sq. scarabaeus aut subsistat aliquantum aut etiam regredi videatur. Id quod v. 164—169 iterum fieri suspicor. Ex quo efficitur, ut et tempus profectionis satis ducatur; itur enim ad superos; et machinae rector ne prius officio suo defungatur quam Trygaeus versibus suis. Qui versu demum 173 ad episcenii marginem extremum progressus, subsistit subito. Pegasus non amplius movetur; ubi sit, quidve fiat, domino paullisper nescio. Verum ad episcenium ope μηχανοποιοῦ appellitur; scarabaeus a latere tractus equiti suo nauseam moturus est clamanti ὦ μηχανοποιέ — χορτάσω τὸν κάνθαρον. V. 177 equitem iam descendisse oportet; qui equum strenuum atque animosum non amplius moratus ad regiam contendit Iovis. Scarabaeus vero continuo disparet, altius assurgens in auras, h. e. in scenae tectum, ad machinae rectorem. Neque Trygaeus eius meminit nisi v. 721, facile contentus, ubi ei honores divinos contigisse comperit.

VI. In scenae tectum scarabaeum assurgere dicebamus. Sed quale tectum? Nimirum quod a scenae pariete summo procurrens aut dimidiam proscenii partem aut totum proscenium tegit, in ipsius scenae et parasceniorum muris impositum fastigatumque opinor, quippe quod machinarum sub illo locus fuerit. Quod igitur tectum in pictura significatum cum Gepperto Altgr.

Bühne p. XXIII et Wieselero Theatergeb. p. 60 crediderim. Ceterum de scenae tecto quum ab aliis satis disputatum sit (cf. Schoenborn. l. l. p. 29. 95 sq.), indicare sufficit, Pacem Aristophanis aut tecto quam maxime indigere aut Trygaei profectionem omittendam omnem. Nam machinam vel rationem qua suspensus cum belua vir tolleretur a spectatoribus conspici potuisse, quis credat? Scilicet Aristophanis tempore machina nomen quidem servavit κράδης, sed naturam mutavit. Neque verendum, ne tectum obscuraverit scenam aut proscenium, quippe latitudini proscenii perquam modicae lux diei sufficiebat, et existimandum, scenae Atticae architectos et praefectos ut in reliquas res ita in lucem idoneam curam impendisse.

VII. Hoc igitur sub tecto etiam regia Iovis est; ante ipsam regiam fovea, in qua a Bello inclusa Pax dea latet, lapidum saxorumque mole imposita, ne prodeat Bello invito. Foveam vero vel antrum in episcenio esse, ante ipsius Mercurii Trygaeique pedes v. 224 εἰς τουτὶ τὸ κάτω, v. 727 τῃδὶ παρ' αὐτὴν τὴν θεόν, v. 728 ἕπεσθον ἅμ' ἐμοὶ θᾶττον perspicue ostendunt. Neque hoc habet difficultatis quidquam, Pacem deam cum comitibus duabus in scena superiori comparere. Verum ipsius protrahendi simulacri modus qui fuerit, num ita ut cuivis probetur veritatisque praebeat speciem, describi possit dubito. Sed tamen subeamus periculum faciamusque. — Ac Trygaeus quidem, qui Pacis fortunam ignoraret, instrumenta ad deam eruendam secum attulit nulla. Itaque clamat v. 298

δεῦρ' ἴτ' ὦ πάντες λεῴ,
ὡς τάχιστ' ἅμας λαβόντες καὶ μοχλοὺς καὶ σχοινία.

Protinus chorus orchestram intrat gradu celeri quidem et incitato, sed tamen parodico: metrum parodi est usitatum, numeri citatiores, quippe Comicus ad eundem numerum saltare chorum iubet v. 320 sqq. Affert secum, quae exigebantur, ligones, harpagones, funes, talia, v. 307, eas igitur res, quae v. 730 vocantur τάδε τὰ σκεύη. Iam hos velim animadvertas versus: v. 297 Trygaeus conclamat: καὶ μέτοικοι καὶ ξένοι καὶ νησιῶται, δεῦρ' ἴτ' ὦ πάντες λεῴ: v. 470 idem minatur οἰμώξεσθ' ὦ Βοιωτοί,

v. 498 πληγὰς λήψεσθ' ὠργεῖοι, v. 504 increpat ἄνδρες Μεγαρῆς οὐκ ἐς κόρακας ἐρρήσετε; iidem et Argivi et Megarenses notantur v. 479, v. 485; Laconum vero ardor collaudatur v. 482. Qui vero vel castigantur vel probantur, ii omnes in choreutarum numero esse non possunt. Chorus enim ex agricolis constat, id quod liquide docent versus 512 ἄγ' ὦνδρες αὐτοὶ δὴ μόνοι λαβώμεθ' οἱ γεωργοὶ et qui sequuntur proxime. Quibus necessario adducor, ut chorum fuisse duplicem statuam, alterum choreutarum iustorum, qui per fabulae vices in orchestra canat saltetque, alterum comitum, qui ante parabásis exordium orchestram relinquat. Chorus loco suo legitimo maneat quam maxime necesse est: quod factum esse fabula ipsa docet. Etenim choreutae postquam prodierunt statim saltare incipiunt, neque desinunt v. 334—336, sed v. 362 demum et canendi et saltandi finem faciunt. Haec igitur chori saltatio num alio unquam loco fieri potuit quam in orchestra? Iam dixerit quispiam: post v. 362, dum Mercurius et Trygaeus altercantur, nonne tempus suppetit, quo chorus in pulpitum ascendere scenaeque appropinquare possit? Sane vero, modo chorum orchestram relinquere sive solere sive posse demonstres. Immo quo tempore Mercurius captatur, alter chorus proscenium occupavit, chorus legitimus tanquam ἄγημα quoddam remansit. Iam vero Comicum parum sibi stetisse fateor, quum comparo v. 430

ἀλλὰ ταῖς ἄμαις
εἰσιόντες ὡς τάχιστα τοὺς λίθους ἀφέλκετε,

et v. 463

ὑπότεινε δὴ πᾶς καὶ κάταγε τοῖσιν κάλως.

Primum εἰσιόντες quid significet, dubium: quum proprie de eo qui vel domum scenaeve domum vel orchestram intrat usurpetur. Hoc tamen loco idem esse apparet quod ἀναβαίνειν. Ad se ut homines escendant, Mercurius imperare non potest: sed dum ex inferiore orchestrae loco in pulpitum conscendunt, vel ad superos tendere videntur. — Tum vero falces, ligones, harpagones, similia cum funibus permutantur, non exposito, falces ad saxa amovenda minus aptas esse quam funes, quum altitudinem scenae

superioris non aequent. Sed funes unde? Porrigitne eos Mercurius? qui quidem v. 430 ὑμέτερον ἐντεῦθεν ἔργον ὦνδρες κτἑ. qui dea possit liberari suadet verbis potius quam re ipsa: quin etiam praecipit id quod chorus et Trygaeus reiiciendum censent, κάταγε τοῖσιν κάλῳς clamantes. Vnum ergo superest, ut comites, quibus chori alterius nomen indidimus, pulpito occupato funem vel funes (verum sufficere unum duosve arbitror) in episcenium coniicere dicamus, quibus correptis ad saxaque destinatis et Trygaeus et choreutae una deducant molem. Funes igitur ab episcenii margine tendunt ad pulpitum, ad ipsam orchestram. Non tamen veri est simile, chorum suum funem trahere, comites suum: primo enim chorus a comitibus malignis ac segnibus vel impeditur quominus trahendo quidquam proficiat, v. 495 οὔκουν δεινόν, τοὺς μὲν τείνειν τοὺς δ' ἀντισπᾶν; id quod nisi in eodem fune fieri nequit. Ipse Trygaeus ut cum reliquis una trahat, quin etiam Mercurius ut opem suam ferat, a choro monetur v. 473 ἀλλ' ἄγεθ' ἕλκετον καὶ σφώ. Ad quae quum Trygaeus respondeat: οὔκουν ἕλκω κἀξαρτῶμαι κἀπεμπίπτω καὶ σπουδάζω; verbis utitur nauticis, tanquam in fune suspensus, quippe qui acerrime trahat corpore resupino et quasi recumbente, rursus remigum instar corpore prono et procumbente novam deinceps funis partem ad se attrahens. Quod rursus nisi Trygaeus et choreutae comitesve eodem fune utuntur, recte fingi non potest. Ceterum omnia nautarum indolem sapiunt, inprimis interiectio εἶα, quam male explicat schol. ad v. 460 μιμεῖται τοὺς βαρβαριστὶ ἐξέλκοντας, melius Suidas: παρακελεύσεως ἐπίρρημα, hodie quoque in Graecia usitatam, ut narratur in Thesauro l. G. s. v., cf. Flor. Chr. ad v. 1. Hesych. s. v. εἰάζων, Nauck. Trag. fr. p. 500, et a tragicis (Euripide, Aeschylo) pariter atque ab Aristophane adhibitam. Tandem chorus in opus solus incumbit; comites aut recedunt omnino aut omittunt trahere. Lapis autem lapidesve, ut veritatis aliqua species praebeatur, ad episcenii marginem promoventur. Scalis prodeunt per foramen, parti haud exiguae spectatorum perspicuum, Opora et Theoria, producitur item simulacrum Pacis deae, aut ab ipsis puellis ab utroque latere stantibus aut alia

3*

quadam machina. Quod re vera simulacrum non mutam aliquam personam esse propterea duco, quod per reliquam fabulam ante Iovis regiam immobile quin steterit non dubito. Iam ut in qualibet fabula ita in Pace multa sunt, quae Comicus non spectatoribus quidem sed tamen lectoribus relinquit de suo addenda. Quo pertinet, quod de saxo iterum foramini imponendo, id quod aut statim a Trygaeo et Mercurio efficitur aut post v. 729 a Mercurio solo, tum vero quod de funibus solvendis inque proscenium reiiciendis, id quod post v. 526 vel post v. 555 fieri necesse est, nostram nobis opinionem atque imaginem fingere cogimur. — Comites igitur post v. 555 a pulpito recedunt in orchestram; vocantur autem omnes agricolae, quod quin Argivi quoque Boeotique et reliqui ex agricolis esse existimentur nihil obstat. Verum exeunt demum v. 730 sqq., ut iustus choreutarum numerus in orchestra versetur solus. Asportant secum ligones funesque tanquam servi: τοῖς ἀκολούθοις δῶμεν σώζειν, ac iubentur diligenter res non amplius necessarias asportare, quasi summi sint pretii et circa theatrum per ludorum tempus turba furum vagetur, v. 732. Denique Trygaeus postquam Pegasus disparuit, a Mercurio monitus, iisdem scalis descendit, quibus ascenderant in episcenium mulierculae. Quas igitur scalas pone scenae parietem fuisse apparet in media scena, aut stabiles illas aut ad huius fabulae usum accommodatas atque exstructas. Namque scalas quasdam in scenae domo fuisse ipsa superioris scenae tectique natura docet ac iubet; quamquam Pollux binas solummodo commemorat, eas scilicet, quibus ex orchestra in pulpitum ascenditur, et Charonias. Verum trinas intra domus parietes fuisse dixerim, singulas in utroque angulo, quem scena et parascenium faciunt, singulas in media scena. Neque tamen, si quis binas illas stabiles ac perpetuas, has vero singulas mobiles fuisse uniusque fabulae negotio inserviisse contenderit, habeam ego quod contradicam. Deae igitur simulacrum in ipso foraminis margine stat; quare Mercurius v. 727 monstrat: τῇδὶ παρ' αὐτὴν τὴν θεόν. Clauso foramine operculo suo, etiam lapidum qui vocabantur magnitudo vel disparet vel minuta est ita,

ut scenae superioris solum aeque planum sit atque antea. Mercurius autem regiam intrat in scenam inferiorem descensurus finitaque parabasi alius personae partes acturus.

VIII. His expositis, quae lectori aequo plausum ut moveant vehementer opto, reliqua satis expedita sunt. Trygaeus cum comitibus suis a dextro scenae latere, per ianuam parascenii intrat, tanquam longinquo per incognitas terras itinere confecto. Servus domo exit, postquam dominum audivit verba facientem. Qui post longa cum servo choroque colloquia Theoriam, mulierum alteram, senatui prytanibusque dono dat. Theoria tamen non in orchestram descendit, sed sinistrorsum per parascenii exit ianuam, quo eam Athenas vel in forum Athenarum commigrare significatur. Verum etiamsi in orchestram descendisset, tamen sinistrorsum exire perseveraret, cui subsistendi commorandique nusquam esset locus. Accedit quod comitem haberet nullum. Iam vero eam per scenam incedentem servus comitatur, cui satis concessum est temporis, quo Trygaeus cum choro colloquitur v. 913—927. Ac servus, postquam prytanis, πρόσωπον κωφόν, Theoriam in ipso scenae exitu accepit, v. 895

θέασ' ὡς προθύμως ὁ πρύτανις παρεδέξατο,

ad dominum redit. Mox sacra fiunt more Atheniensium solito, de quibus sacris capite quarto disputabitur.

IX. Relinquitur, ut de personarum distributione exponamus. Viginti quum sint Pacis fabulae partes vel scenae*) — scenam

*) Scena I v. 1—81 Servi duo; II v. 82—113 Trygaeus, Servus α'; III v. 114—149 Trygaeus, Filiae; IV v. 150—179 Trygaeus; V v. 180—233 Trygaeus, Mercurius; VI v. 234—288, Trygaeus, Bellum, Cydoemus; VII v. 289—300 Trygaeus; VIII v. 301—363 Trygaeus, Chorus; IX v. 364—523 Trygaeus, Chorus, Mercurius; X v. 524—729 Trygaeus, Chorus, Mercurius (Pax, Opora, Theoria); XI v. 730—803 Parabasis; XII v. 804—897 Trygaeus, Servus α' (P. O. T.); XIII v. 898—927 Trygaeus, Chorus; XIV v. 928—1041 Trygaeus, Servus α', Chorus; XV v. 1042—1117 Trygaeus, Servus α', Hierocles, Chorus; XVI v. 1118—1183 Parabasis altera; XVII v. 1184—1202 Trygaeus, Falcarius, Chorus; XVIII v. 1203—1263 Trygaeus, Armorum mercator, Chorus (Hastarius, Galearum faber); XIX v. 1264—1306 Trygaeus, Lamachi filius, Cleonymi filius, Chorus; XX v. 1307—1349 Trygaeus, Chorus.

nostratium more novam incipere dico, quum aut novus actor prodit aut qui egerunt vel omnes vel unus alterque exeunt — in duabus trini sunt actores. Actores dico, qui loquuntur, reliquas personas mutas nuncupare liceat. In scena igitur sexta v. 234—288 Trygaeus, Bellum et servus Belli, Κυδοιμός, quem una cum domino suo prodiisse arbitror, adsunt, ita tamen ut Bellum Trygaei nullam habeat rationem, neque Trygaeus nisi ad spectatores et πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμὸν verba faciat. Porro in scena decima quinta v. 1042—1117 Trygaeus, servus prior, ὁ α', et Hierocles altercantur, ita rursus, ut servo sanequam pauca verba sint concessa, quae si quis etiam minuere velit, is versum 1056 Οἰκ. αἰβοῖ βοῖ. Ἱ. τί γελᾷς; Ο. ἥσθην χαροποῖσι πιθήκοις, recte inter Trygaeum et Hieroclem distribuet. Omnino servi, quum tertiam agunt personam (animadvertas velim non me dixisse, quum tertiarum partium sunt, servus enim noster secundarum est), loqui non magnopere laborant. — Accedit tertia scena, varie a viris doctis tentata, decima octava v. 1203—1263, quae si personarum catalogum, qualem libri exhibent, defendamus, omnem de trinis fabularum actoribus doctrinam evertet. Itaque ex actorum catalogo eximendi Λοφοποιός, Θωρακοπώλης, Σαλπιγκτής, id quod iam alii viderunt; inserendus vero post Δρεπανουργὸν (quem iniuria omisit Engerus Rhein. Mus. 1854, IX p. 581) Ὅπλων κάπηλος, sic ab ipso Trygaeo appellatus. Κρανοποιὸς vero et Δορυξός, qui invocantur v. 1248. 1253, κωφὰ πρόσωπα, institoris comites, cf. v. 1206. Quem multa ac varia armorum genera cum comitibus afferentem, loricam, cristam, tubam, hastam, galeam, alia eaque Trygaeo singula offerentem, lepide ac festive deridet Oporae maritus, quoad v. 1257 ὑβριζόμεθα· χωρῶμεν ὦ τὰν ἐκποδών (ὦ τὰν ad hastarium, quia proxime de hasta agebatur) cum comitibus in commissantium turba disparet. Proxime ante hanc scenam falcarius cum Trygaeo colloquens actorem requirit: neque opus est eum exire, dum ὁ κάπηλος appropinquat. Vnde sequitur, ut in scena octava decima tres actores una in scena versentur. Inter hos igitur actores tres facili negotio personae distribui possunt. En catalogum:

I. Trygaeus; II. Servus α', Mercurius, Cydoemus, Falcarius; III. Servus β', Bellum, Hierocles, Institor. Paullo aliter Beerius, Veber die Zahl etc. p. 45, qui galearum fabro concessit locum, et Engerus Rhein. Mus. l. l., qui falcario locum negavit. Haec igitur distributio nostra satis concedit temporis ad vestes mutandas: servus alter qui est partium tertiarum, ut Belli induat personam inque scenam superiorem ascendat, per quattuor scenas, v. 83—233, otio fruitur, idem post scenas octo tertium prodit, interiectis vv. 289—1041, Hieroclis partes acturus, postremo post parabasin alteram brevemque scenam κάπηλος est. Paullo festinantius servus prior, actor partium secundarum agere iubetur: qui quidem post duas scenas, v. 114—179, quae tamen profectione Trygaei sane impedita longiores fiunt, sub Mercurii persona, deinde post tempus brevissimum sub Cydoemi prodit. Licet enim Cydoemum post verba Belli v. 255 παῖ παῖ Κυδοιμὲ prodire concedamus, tamen viginti tantum et unus intercedunt versus a v. 234—254, quibus si non mutare vestem, at vero addere aliquot personae insignia, depositis Mercurii insignibus iussus est. Quam tamen mutationem et celerrime et facillime factam opinor, quum utrumque servi vices explere supputo, ita ut vel ante versum 255 Cydoemum comparuisse verisimile sit, utpote pedissequum Belli. Reliqua etiam expeditiora sunt et faciliora: post duas scenas, v. 289—363, in quarum altera parodus chori satis requirit temporis, Cydoemus iterum Mercurius factus est; tum post scenam undecimam sive parabasin primam rursus servus α', cuius personam per quattuor deinceps scenas agit ad versum usque 1117, post parabasin alteram Falcarii partes brevissimas acturus, v. 1190—1202. — De actore denique primarum partium ut quidquam addamus necesse non est.

X. Verum enim vero haec personarum distributio quamquam facillima videtur esse, neque toti fabulae committendae sufficit et peccat quodammodo contra pulchri leges. Etenim Trygaeus quum v. 1186 imperat: ἔχ' ἀποκάθαιρε τὰς τραπέζας ταυτηὶ et quae sequuntur, haud dubie servo imperat. Quid igitur magis conveniret, quam servo priori, quem spectatores norunt,

haec imperari? Sed huius actor eodem vestigio falcarii induit personam; neque servum alterum comparuisse probabile est, quum paucos post versus a sinistro latere prodeat ὁ κάπηλος. Itaque aut mutam personam una cum Trygaeo domo exiisse aut nullam apparet. Nullam equidem crediderim, ut pulchri leges serventur, et Trygaeum domo exeuntem in ipsa ianua subsistere versoque paullulum corpore et ore introrsum clamare quid fieri velit.

Alterum, quod actores tres fabulae committendae non sufficiunt, maioris momenti est. Nondum enim de filiabus Trygaei deque Lamachi et Cleonymi filiis locuti sumus. Παραχορηγήματα esse consentiunt omnes. De parachoregematis origine et natura exposui in Proleg. ad Vespas p. 31 sqq., p. 39 sqq., ibidem de discrimine parachoregematis et parascenii; neque nunc habeo quo refutem sententiam. Iam quaeritur, utrum actorum aliquis filiolae partes egerit, an παρασκήνιον sit statuendum, an denique παραχορήγημα. Qui fabularum commissiones quam artissimis limitibus circumscribere volent, ii actorem tertiarum partium, qui modo servi β′ egerat partes, etiam hanc filiolae personam induere potuisse facile et concedent et defendent. Neque est quod opponamus nisi: haec ergo tua sententia est, illam ego sequor: tu quidem misellam quandam fabularum commissionem fuisse existimas, ego sanequam splendidam; tu choragos pauperes et parcos, ego opulentos et magnificos: pacem igitur faciamus, quae utriusque nostrum libertatem tueatur: tandem qui plurimis placebit, is erit victor et dominus. Iam vero, ut ad Pacem redeam, pace aliorum v. 114 sqq. actori tritagonistae locum fuisse nego. Servus α′ omnes evocat filias:

ὦ παιδί' ὁ πατὴρ ἀπολιπὼν ἀπέρχεται
ὑμᾶς ἐρήμους ἐς τὸν οὐρανὸν λάθρα.
ἀλλ' ἀντιβολεῖτε τὸν πατέρ' ὦ κακοδαίμονα.

Item pater v. 119 sq. omnes alloquitur, omnibusque valedicit v. 149. Num probabile est, unam filiam et canere et loqui, reliquas tacere, vel ne comparere quidem? Neque vero, omissa de actore uno sententia, παρασκήνιον est. Tempus quidem et

parascenio et parodo suppeteret; tum vero Lamachi et Cleonymi filios aut ab actoribus agi aut in fine fabulae parachoregema statui necesse esset. Pariter enim atque actor tertiarum partium Trygaei filiam, secundarum, qui modo Falcarii partes egerat, Lamachi filium agere posset, actor secundarum, ὅπλων κάπηλος, Cleonymi. Quod qui fuisse negant, parachoregema statuere coguntur. — Verum equidem et filias Trygaei et filios Lamachi Cleonymique parachoregemata fuisse contendo. Actores enim vel choreutas tantopere vocem modulatos esse, ut et viros senesve et liberos admodum adolescentes voce significarent, num credibile est? Nonne παίδων χοροί, quorum mentio fit saepissime, ad eiusmodi parachoregemata adhibebantur? Accedit, quod scholiastam quoque consentientem habemus, qui ad v. 114 τὰ τοιαῦτα παραχορηγήματα καλοῦσιν, οἷα νῦν τὰ παιδία ποιεῖ καλοῦντα τὸν πατέρα: qui quum addit: εἶτα πρὸς οὐδὲν ἔτι τούτοις χρήσεται, finis fabulae non meminit. — Septem igitur filiae comparent, una quidem canentes v. 114—118, sed non una per ianuam festinantes. Neque multum ultra domus limitem progrediuntur, sed subsistunt in ianua ita ut quae cum patre locutura sit, in primam quasi aciem procurrat, rursus sorori cessura. Itaque semel canunt iunctis vocibus, septies loquuntur singulae. Quod idem est in tragoedia, quam Comicus deridet, verisimile. Cf. Prol. ad Vesp. p. 32. — Alterum parachoregema ex duobus quasi parachoreutis constat. Vnum esse, qui canat, Lamachi filium, satis iudicant vv. 1261. 1264 sq. 1268. 1270 sq. 1282 etc., item Cleonymi unum, vv. 1287 sqq. 1292 sq. Reliquosne una comparuisse dicamus tanquam παραχορηγήματα κωφά? An huc pertinent scholiastae ad v. 114 verba εἶτα — χρήσεται? Non liquet. Postremo hoc addere liceat, Comicum, qui anno ante docuerat Vespas, ut ibi turbam puerorum comitantium et Carcinitarum prodire et canere et salta reiusserat, ita hic eodem et decore et ioco usum esse, i. e. Pacis parachoregemata defendi fabula Vesparum, cui qui deneget parachoregemata neminem iam fore puto.

XI. Superest, ut de versibus aliquot male distributis sententiam exponam. Atque in exordio fabulae personarum distinctio

optime cessit Dobraeo, quem tacite Bergkius sequutus est. Servorum alter, ὁ α', porrigit scarabaeo, alter, ὁ β', pinsit offas stercoris. Ὁ παρατιθεὶς igitur acceptas παρὰ τοῦ μάττοντος offas dum per foramen proiicit, munere fungens leviore et si fieri possit iucundiore, ante ipsum foramen versatur, ὁ μάττων vero aliquantum propius spectatores. Itaque bis invocat spectatorum vel auxilium vel misericordiam, dum collega nihil nisi clientem suum intueri videtur. Prioris ergo servi sunt v. 1. 4. 6 μὰ τὸν Δί' — 8. 11. 12. 15. 16 — ἑτέρας. 18; alterius v. 2. 3. 5. 6 — κατέφαγεν, 9. 10. 13. 14. 16 μὰ τὸν — 17. 19 sqq. De v. 40—42 disceptatur. Aut cum Dobraeo verba οὐκ οἶδ' — τοῦ γὰρ ἔστ'; servo alteri continuanda, aut cum Bergkio distinguendum α'. οὐ μὴν Χαρίτων γε. β'. τοῦ γ. ἔ.; α'. οὐκ — καταιβάτου. Versum 49 male Dobraeus servo priori dedit, item male v. 50 sqq. servo alteri. Quod si quis defendere velit, is v. 1. 4. 6 etc. servo alteri tribuere cogetur. Atqui quum duo colloquuntur, qui incipit sermonem, is per se prior est. — Contra v. 445 sqq. Dobraeus scholiasta duce unice verum vidit, versibus ita inter Trygaeum et chorum distributis, ut Trygaei protasis, chori apodosis sit. Scholiasta enim: οἱ πρότεροι στίχοι (scil. μηδέποτε — ἐξαιρούμενον) πρὸς τὴν ἄνω κατάραν λέγονται. εἶθ' ἑτέραν συνάπτει· πάσχοι γε τοιαῦτα. ὥστε καὶ παραγραφὴν εἶναι, ὥστε ἐκείνου προειπόντος κατάραν, ὁ ἕτερος (scil. ὁ χορός) τὸν λόγον ἐκδεξάμενος ἐπιφέρει, ὅπερ καὶ ἐν ταῖς ἑξῆς κατάραις σαφέστερόν φησιν. Itaque Trygaei sunt v. 445. 448. 449. 451. 452. 454. 455; chori v. 446. 447. 450. 453. 456. Porro v. 457. 459. 460. 461 —Ἄρει δὲ Dobraeus recte Trygaeo dedit, in plerisque Bergkio probatus. Verum etiam in v. 461 Dobraeum sequi praestat quam Bergkium. Quippe ita distribuit X. μή, μή. Τρ. Μηδ' Ἐνυαλίῳ γε; X. μή. Tum v. 462 praeficit Τρ. vel Ἑρμ., Bergkius Trygaeo continuat. Quae sequuntur, paullo secus atque adhuc factum est, distribuenda videntur esse. Apertum est, Mercurium incipere cantum agricolarum, instar nautarum canentium, repetere Trygaeum, ad utriusque vocem respondere chorum. Itaque v. 465 Trygaeo tribuo, in v. 477—487 Ravennatem sequor cum Din-

dorfio, v. 504 sqq. ut vulgo est, Trygaeo reddo. Chorus quem in novissima quasi acie stare existimandum est, tantum adhortatur et tanquam visu impeditus, cur non cedat res, quaerit. Quare dubito an versus quoque 483. 484 Mercurio sint tribuendi, ut choro tantum hi relinquantur: v. 472 — ἀλλ' ἄγετ' — σφώ, v. 476 πῶς — ἔργον; v. 500 ὡς κακόνοι — ἡμῖν, v. 503 ἀλλ' — κωλύουσιν; praeterea quos supra dixi, et qui chori sunt vulgo post v. 511: ἄγ' ὦνδρες etc. — Multis praeterea locis personarum mutatio facta ab editoribus est, qua de re satis in notis dictum. Relinquitur ut de fine fabulae addamus pauca. Ac de variis quidem virorum doctorum rationibus distribuendi in notis ad v. 1302 sqq. retuli: quaeritur autem potissimum, qui versus Trygaei, qui sint chori. Trygaeum igitur domum intrare existimo ad epulas, postquam v. 1297—1301 convivas excitavit, non tantum chorum quam qui in domo sunt. Quin etiam illudere chorum videtur, quum iubet: σμώχετ' ἀμφοῖν τοῖν γνάθοιν etc. Nondum enim choro facultas epulandi conceditur. Itaque hic recte:

ἡμῖν μελήσει ταῦτά γ'· εὖ ποιεῖς δὲ καὶ σὺ φράζων:

i. e. nisi fallor, bene facis tu vel monendo; non re tantum sed verbis quoque. Iam Trygaeum repetere sententiam suam ieiunum videtur nisi quis irrisionem ita augeri malit. Sed quorsum irrisio? qua nihil opus est. Multo ergo melius duco chorum ad Trygaei verba cum irrisione quadam respondere, eumque v. 1303—1306 canere, respondentes illos Trygaei versibus. Hos autem dum canit, ianuam domus apertam esse consentaneum est, commissantiumque turbam perspicuam omnibus. Mox tamen chorus a cavillando abstinet:

εὐφημεῖν χρή, καὶ τὴν νύμφην ἔξω τινὰ δεῦρο κομίζειν.

Finiuntur epulae, ipse Trygaeus mulierem rus comitaturus est. Quod dum paratur, chorus canit v. 1307—1319, quibus finitis Trygaeus cum uxore nova in orchestram descendit v. 1320: δεῦρ' ὦ γύναι εἰς ἀγρόν. In sequentibus Engerus Rhein. Mus. l. l. p. 580 sq. bene responsionem restituit. Itaque addendum post verba καλῶς κατάκεισαι semel Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ: item qui bis

in libris leguntur versus τί δράσομεν αὐτήν; et τρυγήσομεν αὐτήν, inter Trygaeum et chorum distribuendi. Tum vero post τῆς δ' ἡδὺ τὸ σῦκον bis addendum 'Υμήν, 'Υμέναι' ὦ, neque lacunae signum ponendum arbitror, duos autem versiculos inter duo hemichoria distribuendos, quorum alterum maritum humeris ferre alterum uxorem comitari apparet. Ita 'Υμήν ec. themichoria canunt. Vltimos denique versus ὦ χαίρετε etc. non unus Trygaeus canit, decet enim chorum ultima canere, sed ni fallor, Trygaeus una cum choro. Adhortantur autem spectatores ut una Pacis bonis fruantur, dum pompa exeunt sollemni.

XII. Verum de his quidem hactenus. Quod superest, in re tam difficili tamque obscura si quid minus recte exposuero, facile veniam a viris harum rerum peritis impetrabo, modo voluisse rectum ac planum videar. Ac profecto qui commissionis rationem ita explicaverit ut veritatis speciem habeat, ut fabula ratione ista apte facileque committi potuisse videatur, is si non omnibus probabitur, certe sententiam suam cum ceteris stare iure contendet. Neque ego is sum, qui, quid Kanngiesserus, Schoenbornius, Engerus, alii in scena Pacis describenda praestiterint neque intellexisse neque etiam legisse me simulem; id quod faciunt nonnulli, qui ex optimatium, ut ita dicam, numero esse cupiunt; sed ingenue fateor nonnulla melius, nonnulla etiam peius a viris doctis explicata esse, idque non culpa eorum factum, sed penuria atque obscuritate rei pertractandae. Sed tamen Gepperti sententiam omnium minime verisimilem esse inter Aristophaneos constat.

CAPVT TERTIVM.

DE CHORO PACIS.

I. De habitu chori res perspicua est. Agricolarum est Atticorum ad simulacrum Pacis deae eruendum a Trygaeo invocatorum cumque ligonibus funibus aliis id genus rebus accurrentium. Cum choro autem prodeunt una ex aliis civitatibus graecis cives pacis cupidi, Boeoti Megarenses, Lacones Argivi, qui utrum per parodum theatri, quae proprie sic vocatur, an per parascenii ianuam dextram introierint, incertum. Quodsi chori legitimi comites et pedissequi fuerint, ita ut chorus incolarum Atticorum per sinistram, peregrinorum per dextram approperasset parodum, eos et ascendisse in proscenium, locum choro negatum, et descendisse rursus negotio confecto in orchestram, eosdem denique v. 730 supellectilem choreutarum non amplius necessariam asportantes orchestra sinistrorsum egressos esse consentaneum est. Sin autem per parascenia prodierint, iidem post deam liberatam in orchestram descendere eademque agere ratione iubentur. Iam dixerit forsitan quispiam, non convenire parachoreutis, ut ita dicam, Laconibus scilicet ceterisque, choreutarum, incolae qui sint Attici, supellectilem asportare. Quasi Athenienses his in rebus sibi ita constitissent, ut spectatores ubique veri specie decipi vellent. Nonne Trygaeus ὦ μηχανοποιέ clamat, parum fidens machinae firmitate? Parachoreutae igitur ubi non iam peregrinorum personas agunt, servi fiunt choreutarum, vestium habitusque ratione habita nulla. Quin etiam

choreutas tantum singulos supellectilem agrestem attulisse crediderim: chorumque clamasse magis cantasseque quam in opus incubuisse, et simulavisse magis auxilium suum strenuum quam tulisse auxilium. Etenim qui poetarum verba nimis anxie premunt, ii commissae alicuius fabulae imaginem non nimis pulchram neque adeo veram sibi fingunt ac proponunt. Itaque verba τάδε τὰ σκεύη παραδόντες (v. 730) non ad omnes choreutas pertinere dixerim: quamquam omnes an singuli supellectile agresti ornati fuerint, parum refert. Neque chorum filiarum Trygaei, quas septem fuisse suspicor, partes suscepisse probabile est. Qua de re vide quae supra p. 40 sq. proposui. Item de variis chori comici carminibus quod iis quae in Proleg. ad Vespas cap. III disputata sunt addam, non habeo.

II. Parodum Pacis cum Equitum Nubium Avium apte compares in eo quod chorus evocatus prodit atque arcessitus. Rursus ei cum Acharnensium Equitum Avium parodo ea intercedit similitudo, quod chori cantus post paucos versus ab actore interrumpitur. Iam quum parodus cantus sit chori progredientis suumque in orchestra locum occupantis, quot versus huic cantui concedendi sint quaeritur. Perspicuum est neque in Acharnensibus v. 280—283 neque in Equitibus v. 247—254 neque adeo in Pace v. 301—308 parodi nomine dignos esse: in Avibus vero ecquis v. 310 parodum dicat? Iam reliquae fabulae opem nobis ferunt. Ac Nubium parodus ex carminibus duobus antistrophicis constans aliquot actorum versibus in duas partes dirimitur, item Thesmophoriazusarum oratione praeconis satis longa; denique Ranarum parodus, praecedente ut in Thesmophoriazusis et Pace parachoregemate, ratione eadem utitur. Alia igitur parodi comicae natura est, alia tragicae: quod raro in tragoedia factum est, ut chori parodus in partes actorum interlocutione quasi discerperetur, e. g. in Oedipo Coloneo v. 117 sqq., id saepenumero in comoedia fieri videmus. Itaque Nubium Thesmophoriazusarum Ranarum parodo duce in reliquis fabulis metro designari parodum contendimus. In Acharnensibus igitur quum sibi respondeant v. 284—301 et v. 335—346, versum autem 346 Dicae-

opolidis verba excipiant trimetro iambico scripta, ad illum usque versum parodus pertinet; id quod ipsa poetae verba liquide testantur. Porro in Equitibus parodus, quae incipit v. 247, finitur v. 277; quod idem vel scholiastarum unus videtur indicare voluisse, quum in cod. V. sit: καὶ πάλιν στίχοι τροχαϊκοὶ λβ', dum alius quidam melius: οἱ δὲ στίχοι — λζ'. Quae quidem parodus ab Acharnensium eo differt, quod metro ut ita dicam parodico, non antistrophico scripta est. Metrum autem parodicum dico et trochaicum et iambicum tetrametrum catalecticum. Rursus Avium parodus cum Acharnensium comparanda est propterea quod versus aliquot carmini antistrophico (v. 327—335 = 343—351) praemissos legimus: tamen ipsa parodus utrum hoc carmine finiatur an versu demum 385, quo inducias se velle chorus indicat, incertum est. Sed quum chorum post istum versum (cf. v. 400 ἄναγ' ἐς τάξιν πάλιν ἐς ταὐτόν etc.) suo in orchestra loco subsistere perspicuum sit, hunc parodo finem, quamquam modum excedere videtur, concesserim. — Pacis igitur parodus, eodem quo Equitum parodus metro scripta a v. 301 ad v. 336 pertinet, quo versu chorus aliquando finem saltandi facit et eiulandi. Ita et tempus et versus suppetunt ad saltandum, ad locum legitimum occupandum. Saltandi vero modi qui fuerint, intellectu facile est. Chorus enim non sueto quidem atque usitato gradu appropinquat, sed tamen carminis modos servans, eandem viam quam aliās gradiendo, nunc saliendo saltandoque conficit. Neque, ubi v. 320 ὡς κυκάτω κτλ. salire magis quam saltare incipit, celerius procedit, sed laeto sonitu quatiunt pedes orchestrae campum, quatiunt iidem auram: id quod et apte et commode dum quasi aciem suam instruunt choreutae faciunt. Quid vero choreutae isti alarii? Prodeuntne in orchestram mediam cum choreutis legionariis se coniuncturi? An isti quasi parachoreutae ad pulpitum pergunt ibique consistunt? In Vesparum fabula chorum pueri comitantur lucernas gestantes multaque cum senibus confabulantes. Quidni in nostra fabula chorum mutarum personarum una cum choro legitimo in orchestra versari concedamus? quidni eundem saltasse? Sic enim res se ha-

bet: aut parcos atque egenos Athenienses fuisse credendum est fabularumque commissionem quam miserrimam fuisse, aut splendidos eosdem et magnificos omnemque in spectaculum tam rarum tamque exquisitum curam impendentes: fuisse igitur aut nunquam parachoregema aut ubicunque fabulae alicuius indoles id postulabat, et παραχορήγημα et παρασκήνιον et reliqua id genus supplementa choragum vel sua sponte vel lege ac consuetudine obstrictum suppeditavisse. Nostratium quidem longe maxima pars Athenienses parcos, miseros, egenos, pulchri expertes fuisse contendit: verum tamen Comicumne Nubes, Aves, Ranas componere potuisse credibile est, si committendae fabulae nulla libertas nullaque liberalitas concessa fuisset?

III. Veniamus ad parabases, antequam ad alia huius fabulae carmina. Sunt autem parabases duae, neutra τελεία. Ac prior quidem caret epirrhemate et antepirrhemate, altera tribus prioribus parabaseon partibus. De huius modi carminum natura atque indole vide sis quae post alios disputavi Proleg. ad Vespas p. 83 sqq. Commatium igitur parabasis prioris ex versibus anapaesticis tetrametris quinque constare scholiasta narrat. Quod si verum est, versum quintum mire corruptum esse apparet. Itaque fuerunt, qui ad anapaestos restituendos operam impenderent, fuerunt quoque, qui versum quintum esse trochaicum censerent, maxime codicis R. auctoritate moti. Quod utrumque ipsius Comici auctoritas defendit: qui quum in Acharnensibus Equitibus Thesmophoriazusis τὸ κομμάτιον ex anapaestis composuerit, in aliis fabulis, Nubibus, Vespis, Avibus, Ranis metrorum varietati indulsit; modosque partium parabaseos reliquarum quasi praelusit. Qua de re cf. Proleg. ad Vesp. p. 87 sq. Iam vero Pacis commatii versus quintus aut corruptus est penitus, aut, quae est Meinekii sententia admodum probabilis, e fabula aliqua competitoris alicuius satis sterili ac ieiuna repetitus. Certe post anapaestos quattuor versum sequi trochaicum, non ex more Graecorum fuisse dixerim. Neque omnino metrum trochaicum cum anapaestico a comicis coniunctum reperimus. Pariter novum quoddam metrorum coniungendorum genus in Vesparum com-

matio exhibitum est: quod tria proponat métrorum genera, anapaesticum, iambicum, trochaicum, connexa inter se duabus dipodiis trochaicis. Verum etiam trochaicum metrum ab iambico toto coelo distat; metrumque quod vocatur iambico-trochaicum ne per Diogenis quidem lucernam reperias apud comicos. Quid mirum? in Nubium commatio metrum dactylico-trochaicum mixtum legimus cum anapaestico, choriambico, iambico vel, ut simplicius dicam, iambico-anapaestico, ita ut metra inter se maxime contraria tanquam modorum, qui insequantur, rationem varietatemque praedicant. — Metrum strophae (v. 776—789 = 790—803) dactylico-trochaicum est. Itaque non recte Dindorfius Metr. Aesch. etc. p. 350 versus 782—784 = 796—798 in unum coniunctos metro choriambico uti voluit. Qui quum comparat Vesparum carmen III v. 526 sqq., non animadvertit, ibi systemata choriambica cum tetrametris iambicis coniungi. In nostro igitur carmine tres sunt eiusdem numeri versus, e dactylo et dipodia trochaica compositi. Versus porro 785 = 799 tetrameter dactylicus est cum dipodia trochaica, ita ut primi trochaei loco sit syllaba τρίσημος –́ –́ –. Numeros vides simplicissimos esse; id quod in reliquarum parabasium strophis aeque licet deprehendere. In Acharnensibus 665—691 (675) versus cretici, in Equitibus 551—564 choriambici, in Nubibus 563—574 dactylico-trochaici, quippe v. 569—570 ex octo dactylis cum trochaeo constat, reliqui versus igitur, etiam si metro choriambico, quae est Dindorfii sententia, uti videntur, numero dactylico incedunt. Inter quos v. 571 sq. = 603 sq. aut duos continet versus glyconeos, aut dactylicus est cum basi iambica: – –́ ⏑ –, –́ ⏑⏑ –́ – –́ – –́ –́ ⏑⏑ –; tertii loco dactyli syllaba est τετράσημος. Eundem versum Dindorfius ita disposuit: – –́ ⏑ –, –́ ⏑⏑ –, –́ – – –, –́ ⏑⏑ –, duos choriambos cum versu glyconeo esse explicans: quasi dispondeus possit choriambus esse. In Vespis 1060 — 1070 stropha trochaica est, versus secundi duo cretici duabus dipodiis trochaicis plane respondent; in Avibus 737 — 752 metrum dactylico-trochaicum, itaque v. 744: δι' ἐμῆς γένυος ξουθῆς μελέων item dactylicum cum anacrusi dixerim esse; quod idem in Ranarum

parabasi v. 682: ἐπὶ βόρβορον ἑζομένῃ πέταλον statuendum est, cuius stropha dactylico-trochaica est.

Altera Pacis parabasis metro utitur aeque simplici, v. 1118—1131 = 1151—1164: cretici sunt cum systemate trochaico: tribus dimetris creticis v. 1119—1121 praemissa anacrusis: cf. Rossb. Westph. Metr. p. 548. Ita in Acharnensium carmine parabatico v. 971—987 = 988—999 creticos excipit tetrameter trochaicus; ibidem alterius parabasis v. 1150—1161 = 1162—1173 choriambos sequuntur versus iambici, quorum ultimus memorabilis est, quum aut dipodias iambicas contineat, quarum pes posterior spondeus est, aut basin habeat iambicam, quae instar dipodiae sit: ⏑ ⏑́ — ⏑́ ⏑ — — ⏑́ ⏑ — — ⏑́ ⏑ — ⏑́ ⏑ — ⏑ ⏑́ —; pro quartae dipodiae pede priore syllaba τρίσημος est. Vtrum numerum praeferam ambigo: sed utrumque melius esse puto Dindorfii sententia versum ex tribus ordinibus compositum, baccheo cum cretico, iambico dimetro, ithyphallico censentis. Eius modi versus monstruosus est neque aut cani aut omnino recitari potest, omisso quod metra numerique inter se diversissimi et quasi inimicissimi conglutinantur. Equitum parabasis altera stropham habet dactylico-trochaicam v. 1264 — 1272 = 1290 — 1298, ter praecedente anacrusi; Vesparum (v. 1265—1274) ex versibus trochaicis catalecticis compositam esse recte iudicavit Dindorfius, in eo tamen falsus quod ante πεινῇ γὰρ ἧπερ Ἀντιφῶν septem minimum syllabas excidisse putavit, quum versui praecedenti quominus adiungatur nihil obstet. Quinque igitur systemata sunt trochaica, quas si in singulas dipodias velis dirimere, non repugnabunt. Avium stropha parabasis alterius (v. 1058 — 1070, a Dindorfio neglecta) trochaico-cretica est, sed trochaeorum loco plerumque spondei sunt, singuli fortasse creticis singulis respondentes, quod ad numerum pertinet; versus 1063. 1064 κτείνων — γαίᾳ coniungendi sunt. Item carminis parabatici Thesmophor. 947 sqq. numeri simplicissimi, licet ex parte corrupti. Itaque hac lege se obstrinxisse Comicum apparet, ut numerum stropharum diligentissime servaret neque diversa metrorum genera permisceret. Quod idem in carminibus minoribus factum esse, statim videbimus.

IV. Parodo chori carmen cretico-trochaicum paene annexum est, v. 346—360, bis repetitum v. 385—399 et v. 582—600, quod quum intra scenae fines et inchoetur et repetatur, neque στάσιμον vocari potest neque vero παραβατικόν. Aut idem igitur nomen, quod quibusdam Vesparum carminibus, huic quoque carmini indiderim, i. e. παρασκήνιον vocarim, aut nullum omnino. Cf. Proleg. ad Vesp. p. 33 sq. Quod carmen in tres partes disposuit Engerus de respons. p. 4 ita: „α′ trochaicum tetrametrum excipit systema creticorum dimetrorum trium; β′ duo trochaicos tetrametros duo sequuntur creticorum systemata ternorum dimetrorum; γ′ trochaicum tetrametrum sequuntur tres cretici dimetri et unus trimeter.“ Verum primus strophae versus trochaico-creticus est, ex dimetro trochaico et dimetro cretico constans, atque iisdem prorsus numeris atque tetrameter trochaicus catalecticus utens. Quod ita esse plane docet cod. R., v. 346. 385. 582 corruptos exhibens, ut librarios demum versus tetrametros efficere conatos esse appareat. Itaque hanc versuum formam genuinam esse contendo:

v. 346 εἰ γὰρ ἐκγένοιτ' ἰδεῖν ταύτην με τὴν ἡμέραν·
v. 385 μηδαμῶς ὦ δέσποθ' Ἑρμῆ, μηδαμῶς, μηδαμῶς·
v. 582 χαῖρε χαῖρ' ὡς ἦλθες ἡμῖν ἀσμένοις, φιλτάτη.

Systema quod sequitur creticorum dimetrorum ternorum responsionem habet accuratissimam. — At media carminum pars varie laborat. In stropha enim sequuntur duo tetrametri; in antistropha priori tetrameter prior corruptus est varieque tentatus. Equidem probo lectionem etiam a Bergkio receptam, qua versus efficitur trochaico-creticus, cum primo strophae versu 346 plane congruens. Porro in antistropha altera excidit versus, propterea quod nihil nisi repetitus versus primus fuerit. — Iam restat atque obstat strophae ipsius versus tetrameter trochaicus, cui, quod ad numeros attinet, accuratissime respondet versus trochaico-creticus, quod vero ad syllabas singulas, non satis accurate. Itaque aut statuenda eius modi responsio, quum in se profecto nihil habeat difficultatis, aut pro οὐδὲ δύσκολον legendum οὐ δύσκολον, neglecto quod ultima syllaba brevis est, ut

v. 388 τῷδε τῷ πράγματι. Iam hoc est mediae partis exordium

v. 349 χοὐκέτ' ἂν μ' εὕροις δικαστὴν δριμύν, οὐδὲ (οὐ) δύσκολον
οὐδὲ τοὺς τρόπους —

v. 388 ταῦτα μὴ φαῦλον νόμιζ' ἐν τῷδε τῷ πράγματι.
Τρ. οὐκ ἀκούεις —

v. 587 χαῖρε χαῖρ' ὡς ἦλθες ἡμῖν ἀσμένοις φιλτάτη·
ἦσθα γὰρ μέγιστον —

Sed quae sequuntur creticorum systemata, ea, ut nunc se habent, parum sibi respondent. Si quidem strophae versus incorruptos esse iudicandum est, antistropha prior et altera emendandae sunt: verbo enim ἀντιβολοῦσιν in systemate cretico locus concedi omnino non potest. Itaque reponendum duco προσκυνεῖν, quod satis defenditur Equit. 156, Plut. 771. Tum vero, si intactum relinquimus versum 390 μὴ γένῃ παλίγκοτος, cretico respondet dipodia trochaica: accedit quod in versu sequenti ἡμῖν metro plane obstat. Hanc igitur propono lectionem v. 390

μηδὲ σὺ παλιγκότως
προσκυνοῦσίν γ' ἔχῃς,
ὥστε τήνδε μὴ λαβεῖν. —

Quamquam in stropha sunt paeones duo, quibus respondere iubentur duo cretici προσκυνοῦσίν γ' ἔχῃς. Sed in re tam incerta periclitandi locus est, salvo lectoris iudicio. Quare si quis aliam praetulerit lectionem, non repugnabo: ipse aliquot afferam:

μὴ γένῃ παλίγκοτος | προσκυνοῦντί μοί σ' ἄναξ,
προσκυνοῦμέν σ' ἄναξ,
λισσόμεθα δέσποτά σε, etc.

In antistropha altera maxime offendit γὰρ bis positum: ἦσθα γὰρ et μόνη γάρ: tum vero syllaba μο- strophae et antistrophae plane repugnat; itaque omissa vocula γὰρ verba transponenda arbitror et κὠφέλεις scribendum: v. 589

πᾶσιν ὁπόσοι γεωρ-
γὸν (-γοῦ) βίον ἐτρίβομεν
κὠφέλεις ἡμᾶς μόνη.

Ceterum creticus pro paeone etiam v. 393. 398. 592 positus. Reliquae virorum doctorum coniecturae suis locis memorabuntur.

Quod ad modos carminis, eosdem ter repetitos esse ex ipsa versuum compositione apparet: ipsumque Trygaeum in antistropha priori versum suum 389 ad chori modos cecinisse necesse est.

V. Versus, qui ab actoribus choroque, dum Pacis simulacrum protrahunt, recitantur, ex parte antistrophici sunt. Ac Bergkius quidem post Dindorfium, ut alios mittam, v. 459—472 et 486—499 sibi respondere indicavit. Verum responsio neque perfecta est neque poetam responsionem omnibus numeris absolutam voluisse opinor. Modi sanequam fuerunt, quibus uterentur viri strenue laborantes: eosque repetitos esse perspicuum est. Attamen interiectionum metra libera sunt ac soluta, satisque provisum, modo numerus servetur: quippe nautae, opifices, fabri, quum in idem negotium una incumbunt atque unitis viribus, ita se vel vicissim vel mutuo exhortari solent: non tamen syllabas metiuntur. Iam vero Dindorfius ὦ εἶα vocavit palimbaccheum, εἶα μάλα paeonem, ἔτι μάλα proceleusmaticum, cui dactylus responderet, quasi ex talibus monstris sanus posset carminis numerus effici. Quem equidem iambico-anapaesticum esse video, responsione ut dixi utique libera. Iambico igitur metro utuntur praeter anapaestos versus reliqui omnes; ita ut interiectiones vel acclamationes, quae antecedunt, quinque dipodias iambicas aequent. Necesse ergo est acclamatio ἔτι μάλα idem habeat metrum quod εἶα μάλα, syllaba ἔ — igitur producatur. Quod quidem in exclamationibus fieri posse docet Equitum v. 10, quo vocula μυ et corripitur per ludibrium et producitur; item vocula ὑ Plut. 895; item Lysistr. 294. 304, ubi scribendum φὺ φῦ, φὺ φῦ. Cf. Av. 228. Pac. 195. 317. 345. 459. Iam si voces E. ὦ εἶα X. εἶα μάλα E. ὦ εἶα ἔτι μάλα trimetrum iambicum velis nuncupare, vel trimetri iambici numeros praebere dicas: apte eas cani posse intelligas. Quae sequuntur voces ὦ εἶα ὦ εἶα dimetrum iambicum efficiunt, utraque dipodia catalectica, ut in antistropha μικρόν γε κινοῦμεν. Porro voces εἶα νῦν, εἶα ὦ v. 467. 468, quae creticorum speciem praebent, dipodiarum iambicarum instar sunt, quarum primae syllabae τρίσημοι. Ceterum in antistropha, si qua est, νὴ Δία parum respondere v. 462 ἔτι μάλα

nihil mirum, modo numerus versus servetur. Contra si cum cod. R. v. 462 εἶα ἔτι μάλα et v. 489 εἶα νὴ Δία legimus, corrigendum est εἶ' ἔτι, utroque loco corripiendum εἶ —. An legendum v. 489 ναὶ μὰ Δία? Quidquid coniicis, numeros iambicos esse certissimum est. Anapaesti vero qui sequuntur ex parte mutili sunt: v. 461, cum praecedat Trygaei Mercuriique et reprehensio et exhortatio, chorus tanquam se defensurus respondisse videtur: ἕλκομεν, ἀλλ' ἄγεθ', ἕλκετε καὶ σφώ, cui v. 496 plane similis: ὡς κακόνοι τινές εἰσιν ἐν ἡμῖν. Denique versum 491 supplendum dixerim ita: οὔκουν δεινὸν τοῦτ' ἔστ' ὦνδρες. Reliqua expedita sunt. — Hoc igitur carmen quod antistrophicum esse concedimus iisdem modis bis recitatis, sequitur quasi epodus quaedam metro iambico, ita tamen composita ut prima dipodia contineat duos anapaestos. Reliquos versus tres recte disposuit Dindorfius, sed de clausula exclamationum non recte videtur iudicium tulisse vel dimetrum vel tetrametrum constituendum esse censens. Si quidem primum versum animadvertimus, (sunt enim tres in nostris editionibus): ὢ εἶα νῦν, ὢ εἶα πᾶς, duas deprehendimus partes, alteram vocula νῦν, alteram vocula πᾶς terminatam. Vtramque ergo partem paullum amplificatam esse arbitror ut efficerentur dimetri iambici catalectici,

ὢ εἶα εἶα εἶα νῦν,
ὢ εἶα εἶα εἶα πᾶς:


quos si etiam saepius repeti velis, non repugnabo. Contra ut nunc se habent versus apud editores varios neque apte cani possunt, carent enim numeris necessariis, neque igitur homines strenui ad talium versuum modos laborare.

VI. De metro choriambico v. 856 sqq. disputavit Engerus de respons. p. 9. Qui quum tantum v. 856—858 = 860—862 et v. 909—911 = 913—915 sibi respondere dixerit, melius rem egisse videntur editores, qui et tetrametros iambicos et systema iambicum reddiderint antistrophicum, ut versibus 856—867 responderent v. 909—921. Perspicuum est, modos repeti versuum choriambicorum; at tetrametrum iambicum v. 855. 912 recitaritne Trygaei actor an cecinerit incertum. Eundem et hos et re-

liquos tetrametros v. 863. 916 et systema iambicum v. 865—867 = 918—921 cecinisse, item chorum versus 864. 917 crediderim. Ceterum v. 860 sive nominativus sive vocativus est, legendum γέρων; contra v. 1349 syllaba brevis nihil habet offensionis, quum versus sequens ab aliis canatur, cf. supra v. 920. Ὅμιλον neque necessarium et systematis metrum offendit; id quod recte editores animadverterunt. Iam quum Trygaeus post systema iambicum, quod quum modis quasi volubilibus nullaque intermissione (ἀπνευστὶ ᾀδόμενον) canatur, πνῖγος possumus recte vocare, trimetro iambico loqui pergat; satis documenti arbitror esse versus illos ab actore cantatós esse. Eius modi autem systemata et iambica et trochaica et anapaestica versibus trimetris vel tetrametris catalecticis saepenumero annexa, πνίγους nomine recte uti posse, in Proleg. ad Vesp. p. 80 dixi. Tale igitur πνῖγος in nostra fabula exstat v. 339—344, trochaicum, cui alterum v. 571—581 tantum non respondet: item v. 652—656 trochaicum; denique v. 1311—1319 anapaesticum. Quae si quis cantata esse contenderit, assidue me assentientem habebit.

VII. Sequitur alterum carmen iambico — anapaestico — choriambicum, v. 939—955 = 1023—1038; in eo comparandum cum proxime antecedenti, quod chori cantus a Trygaeo bis interpellatur. Chorus igitur primum canit tetrametrum iambicum, admissa in pede quinto pausa v. 939, in versu antistrophico 1023 deest iambus et syllaba τρίσημος. Suppleverim σέ τοι θύρασι χρὴ μένειν καὶ μένοντα τοίνυν. Sequitur tetrameter anapaesticus cat. v. 940 sq., sive systema anapaesticum ex dimetro acatalectico et catalectico constans; tum post Trygaei versum quasi intercalarem carmen iambico-anapaesticum, cuius versus primus incipit ab iambo, cui in antistropha respondet spondeus, item v. quartus (946) ab spondeo, respondente iambo; quintus versus, dimeter iambicus in stropha etiam secundum iambum habet solutum. Denique post duos Trygaei tetrametros carmen chori iambico-choriambicum. Anacrusis ter anceps, v. 951—952 = 1034—1036, quo de usu vide Engerum de resp. p. 9. Ceterum Engerum et editores recentiores in his versibus et emendandis

et distribuendis secutus sum. — Item anacrusis anceps in versibus choriambicis, quos Dindorfius glyconeos cum basi monosyllaba, scholiasta ad v. 1329 ionicos appellavit. Horum versuum eosdem fuisse modos, quos versuum 951 sqq., perquam est verisimile, namque eiusdem numeri versus ut iisdem modis utantur, rei natura monet. — Vides igitur carmina Pacis fabulae quam simplicia sint, quam tenuia, ut aptissime Pacem cum Acharnensibus possis comparare.



CAPVT QVARTVM.

DE SACRIS PACI DEAE FACTIS DEQVE REBVS SACRIFICALIBVS ARISTOPHANI COMMEMORATIS.

I. Trygaeus posteaquam in terram redux Oporam servo lavandam, Theoriam senatui colendam tradidit, interrogatus a servo v. 913

ἄγε δὴ τί νῷν ἐντευθενὶ ποιητέον;

non statim ad epulas ruit comissabundus, sed praecepti illius Homerici bene gnarus memorque: αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μήρ' ἐκάη vel αὐτὰρ ἐπεὶ σπεῖσαν vel αὐτὰρ ἐπεί ῥ' εὔξαντο — prius Paci deae sacra facere statuit. Quod tamen Comicus non tam ut Pacem deam eiusve simulacrum spectatoribus procul dubio omnibus conspicuum coleret quam ut vatum specimen taeterrimum Hieroclem carperet, Trygaeum iussit respondere:

τί δ' ἄλλο γ' ἢ ταύτην ἱδρυτέον χύτραις,

non alienum est comparare vel Vesparum scenam, qua Bdelycleo patrem vitae cultioris expertem docens mores Atheniensium convivales leviter perstringit, vel Avium, qua Prometheus aliique tanguntur novi regni cultores. Ex quo intelligi potest, Comicum non sacrorum indolem ut malam aut obsoletam reprehendere voluisse, ut noluit iudiciorum rationem castigare; sed vates quosdam impuros ac libidinosos pariter atque iudicum complurium furorem iudicialem. Iam vero gratias agamus habeamusque Co-

mico, rerum domesticarum scriptori facetissimo atque acutissimo, quod nos et de rebus iudicialibus et de rebus ad sacra pertinentibus, quas posthac res sacrificales liceat nuncupare, lepidissime fecit certiores. Agemus autem ita ut scena Pacis fabulae v. 913 sqq. duce res sacrificales enumeremus singulas, quaeque Aristophanis aetate ratio modusque sacrificiorum fuerit, ostendamus. Qua in re quum tanta commentationum omnis generis copia suppetat: in uno fere Aristophane versari et utile et necessarium erit, ne vel actum agere videamur, neve id saltem novi nos protulisse ignoretur, quod potissimum Comicum in describendis enumerandisque rebus sacris secuti simus.

II. Tres igitur quum sint sacrificii a Trygaeo facti partes, praeparatio, sacrificatio, epulae sacrificales, de singulis deinceps dicendum est. Tres fere sacrificiorum, quae ἔμπυρα (Suid. Hesych. s. v.) vocantur, partes fuisse docet Homerus Il. α, 458 sqq. Od. γ, 439 sqq. ξ, 414 sqq., Apollon. Rh. α, 402 sqq. Nonn. Dionys. V, 3 sqq. Praeterea conf. Eurip. Iphig. Aul. 1563 sqq. Herodot. I, 132; Straton. com. ap. Ath. IX p. 382 c, Mein. Com. IV p. 545 sqq. Quod vero Euripides Electr. 791 sqq. (ut Hercul. fur. 922 sqq.) duas solummodo partes descripsit, fabulae dandum est argumento, videlicet sacrificio Aegisthi nece interrupto. Iam ut ad primam quam dixi partem statim aggrediar — nam de reliquis omnibus, quae ad sacra Graecorum pertinent, consulendi C. F. Hermannus, licet genere dicendi nimis contorto, ut solet, usus sit, et Schoemannus, qui multo planius ac liquidius disputavit — Comico auctore ad praeparandum sacrificium pertinent haec: βωμός, κανοῦν, ὀλαί, στέμμα, μάχαιρα, πῦρ, χέρνιψ, σχίζα (δαλίον). En Comicum vel Polluce locupletiorem! qui I, 33: τὰ δὲ πρὸς θυσίαν σχίζαι, σφαγίδες, κοπίδες, πελέκεις, ὀβελοί, λίκνα, κανᾶ, χέρνιβες· τὰ γὰρ πεμπώβολα καὶ οὐλοχύται καὶ τὰ τοιαῦτα ποιητικά. Homerus Od. γ l. l. χέρνιβα vocat (ἐν ἀνθεμόεντι λέβητι), οὐλάς, κανοῦν, πέλεκυν, ἀμνίον, σχίζας, πῦρ, οἶνον, ὀβελούς, πεμπώβολα: idem in sacrificio ab Eumaeo facto Od. ξ v. l. ἐσχάρην, ξύλα (σχίζας), πῦρ, ἀλφίτου ἀκτήν, ὀβελούς: idem denique Il. α. v. l. βωμόν, χέρνιβα, οὐλοχύτας, πῦρ, σχίζας,

οἶνον, πεμπώβολα, ὀβελούς, quibus rebus addenda caedendi secandique instrumenta versu 459 indicata. Porro Euripidi l. l. commemorantur βωμός, χέρνιψ, σφαγεῖον, κανᾶ, πῦρ, (λέβητες ἀμφὶ ἐσχάρας), προχύται, σφαγίς, Δωρίς, κοπίς (Φθιάς). Nihil novi Apollonius, nisi quod ῥόπαλον vocavit, quod Homerus σχίζαν δρυός, neque novi quidquam Nonnus, qui tantum nomina quarundam rerum mutaverit. Iam vero praeter has res proprie sacrificales ad praeparationem sacrificii pertinent vota precesque sacrificantium, pertinet etiam delectus aut victimae aut hostiae immolandae, pertinet denique tota sacri faciendi institutio. De ipso igitur sacrificii genere quum Trygaeus cum choro agat, de eodem nos disserere ex rei natura apparet esse.

III. Ac primum Trygaeus Pacem deam vel simulacrum eius in hyperscenio conspicuum ollis leguminum dedicandum esse censet. Haec igitur ἵδρυσις, dedicatio sive constitutio sacrificii, rem sacram praecedit. Verbum ἱδρύεσθαι, Comico usitatum, praeter constituendi notionem etiam colendi venerandique habet, ut Pac. 1082 Εἰρήνην εἵλοντο καὶ ἱδρύσανθ' ἱερείῳ; item Plut. 1153. 1191. 1193. 1198, tribus prioribus locis dedicandi vel collocandi, cf. schol. ad v. 1191, quarto colendi notio valet, quod additum est χύτρας αἷς — cf. schol. Pac. v. 914 (923), Bergk. ap. Mein. II p. 1048. Vtraque notio in fragmentis Menandri superest, cf. Ind. Mein. C. V s. v.; contra condendi exstat Thesmoph. 112 in versu tragico; sicut apud tragicos poetas notio condendi collocandique usitatior est. Ceterum cf. C. F. Herm. Gottesd. Alt. p. 80. 108 sq. Hanc igitur ἵδρυσιν quum χύτραις fieri velit Trygaeus, non tam e civium more ac consuetudine facere quam irrisione quadam uti videtur, a qua Comicus ne in gravissimis quidem rebus maximeque a se commendatis abstinet. Vsum autem ollarum explicat schol. Plut. 1198: ἔθος ἦν ἐν ταῖς ἱδρύσεσι τῶν ἀγαλμάτων ὀσπρίων ἡψημένων χύτρας περιπομπεύεσθαι ὑπὸ γυναικῶν ποικίλως ἠμφιεσμένων: easdem etiam καδίσκους appellari auctor est Anticlides apud Athen. XI p. 473 c. Tenuem vero ac vilem hanc dedicandi sacrificandive rationem esse et ipsa chori verba: ὥσπερ μεμφόμενον Ἑρμίδιον, indicant

(unde Hermis in viis anteque aedes positis ita ab Atheniensibus rem divinam factam esse apparet), et scholiasta explicat: ὡς εὐτελοῦς οὔσης τῆς θυσίας ἐκ τῶν ἄλλων i. e. prae ceteris. Neque obstat quod Plutus in fabula cognomine, deus aeque recens atque ab ipso poeta fictus, eadem ratione dedicatur. Quamquam non dixerim hoc per ollas dedicandi colendique genus tantum minorum gentium diis contigisse. Iam vero hanc ἵδρυσιν etiam ἔμπυρον fuisse idem Comicus testis est, qui Trygaeum quaerentem faciat, utrum dea λαρινῷ βοΐ an ὀΐ an ὑΐ sit dedicanda. Quem ut ipso verborum lusu spectatores delectaret inusitata aut etiam falsa dixisse quis credat? Immo verbis rebusque cuivis notissimis utitur, quibus non sacrorum sanctitatem ac religionem sed alia quaedam, inprimis ut assolet aut populi universi aut hominum quorundam vitia carpat. Itaque vel inventa vel adhibita sunt verba βοηθεῖν, ὑηνία, ὀΐ, quae tribus hostiarum immolandarum generibus perquam vulgaribus responderent. Quid plura? nempe ovis Paci deae immolatur.

IV. Sacrificii igitur genere constituto, ovem arcessi Trygaeus, iubet ipse aram in qua sacrificetur paraturus. Hanc arae speciem quantumvis vilem et exiguam — servus enim dextrorsum eam circumire iussus, ἰδού, inquit, λέγοις ἂν ἄλλο, περιελήλυθα v. 948 — in medio proscenio ante domus ianuam collocat, non quo spectatoribus sacrificandi ratio monstretur, sed quod moris erat sub divo sacra facere. Etenim Eumaeus Homeri Od. l. l., dum omnia sacrificantis officia explet, intra aedicularum parietes suem immolat proprie hospiti coenam paraturus, qua in apparanda οὐδὲ λήθετ' ἄρ' ἀθανάτων. Itaque haec sacrificatio fit ἐπ' ἐσχάρῃ (v. 420), in ipso igitur aediculae foco, quae vox quid significet et quomodo differat a βωμός, ἑστία et βόθρος, satis declaratur a scholiastis et lexicographis, cf. Ammon. s. v. βωμός, p. 32 sqq. Valck., Harpocr. Phot. s. v. ἐσχάρα, Apoll. lex. Hom., Bekk. Anecd. p. 256, 32 et 40, 15 s. v., Poll. I, 8; IV, 192; schol. Eur. Phoen. 274. 284; Porphyr. de antro Nymph. 6, quem Nitzschius excitavit ad Od. κ 517; Eustath. p. 1564, 28 et 1575, 39. Iustum autem sacrificium, sive publicum fuit sive privatum,

licet veterum diserte ipsoque verbo, quod sciam, tradiderit nemo, ὑπαίθριον fuisse et sacrificiorum descriptiones quae supersunt satis indicant et vel ipsius Mercurii verba defendunt, querentis Od. ε, 100:

τίς δ' ἂν ἑκὼν τοσσόνδε διαδράμοι ἁλμυρὸν ὕδωρ
ἄσπετον; οὐδέ τις ἄγχι βροτῶν πόλις, οἵτε θεοῖσιν
ἱερά τε ῥέζουσι καὶ ἐξαίτους ἑκατόμβας:

vel etiam Neptunus Od. α, 25:

ἀντιόων ταύρων τε καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβης:

immo vero Comicus Plut. 659:

ἔπειτα πρὸς τὸ τέμενος ᾖμεν τοῦ θεοῦ.
ἐπεὶ δὲ βωμῷ πόπανα καὶ θυλήματα
καθωσιώθη μέλανος Ἡφαίστου φλογί,
κατεκλίναμεν κτέ.

et Av. 1231:

μηλοσφαγεῖν δὲ βουθύτοις ἐπ' ἐσχάραις
κνισᾶν τ' ἀγυιάς.

Sed haec hactenus; nam cum uno Aristophane res nobis est. Qui quum verbum βωμός eadem ubique significatione arae adhibuerit, dum Homerus e. g. Od. η, 100 basis vel suggesti notione iubet uti, eodem tamen sensu etiam ἐσχάρα dicit Av. 1231. Quae vox utramque significationem habere videtur Ach. 887 ἐξενέγκατε τὴν ἐσχάραν μοι, focum significat Vesp. 938, obscoena est Eq. 1286. Eadem notionum varietas in fragmentis comicorum obvia, cf. Ind. ad Mein. Com. V s. v. βωμός et ἐσχάρα.

V. Ara collocata Trygaeus iterum domum intrat a choro et laudatus et monitus v. 934 sqq. Statim vero ut supra cum rebus ad sacrificium necessariis redux ultima chori verba audit, non tamen ut paullo ante respondet. Antea enim verba ὡς ταῦτα δῆλά γ' ἔσθ' respondent ad chori verba κατὰ καιρόν. Affert igitur: τὸ κανοῦν, ὀλὰς ἔχον καὶ στέμμα καὶ μάχαιραν, tum vero πῦρ; sed affert una res nonnullas non commemoratas, quae ad aram pertinent, quaeque paullo infra nominantur, χέρνιβα dico (v. 946) et δαλίον sive σχίζας (v. 949). Servus ni fallor solummodo ovem immolandam adducit. Vnde collegerim, res istas sacrificales, quas modo enumeravi ex Aristophane, servis

non utique patuisse sed in dominorum fuisse potestate ab ipsis conservatas locoque certo reconditas.

Τὸ κανοῦν igitur, canistrum, quod et ξύλινον et πλεκτόν fuisse tradit Athenaeus IV p. 152 c., quod idem χάλκειον vocat Homerus Il. λ, 630 et χρύσεια κάνεια Od. γ, 355, iam apud Homerum οὐλάς continet Od. γ, 441 sq. Estne ab altero canistro, ἀρτοφόρῳ, totiens ab Homero quasi decantato (σῖτος ἐν κανέῳ, κανέοισιν) diversum? Quod ad genus speciemque, vix crediderim eo maxime adductus, quod epulae tanquam altera pars sunt sacrificiorum. Neque vero magnitudine canistra differre contenderim, licet quae in coena quotidiana adhibebantur, ea minora fuisse videantur, Trygaei autem canistrum praeter οὐλὰς et στέμμα contineat et μάχαιραν. Quid vero? si μάχαιρα scribendo contendamus, canistrum etiam hoc loco tantum mola (salsa?) repletum esse, cultrum vero et coronam vix superimpositam, quo facilius a sene afferretur? Compares, quod Homerus Od. δ, 131 canit hospitem Aegyptiam Helenae dedisse τάλαρόν θ' ὑπόκυκλον

ἀργύρεον, χρυσῷ δ' ἐπὶ χείλεα κεκράαντο,
τόν ῥά οἱ ἀμφίπολος Φυλὼ παρέθηκε φέρουσα
νήματος ἀσκητοῖο βεβυσμένον· αὐτὰρ ἐπ' αὐτῷ
ἠλακάτη τετάνυστο ἰοδνεφὲς εἶρος ἔχουσα.

Rursus Cyclops Od. ι, 247 caseos recens pressos

πλεκτοῖς ἐν ταλάροισιν ἀμησάμενος κατέθηκεν:

in clipeo autem Achillis Il. σ, 567

παρθενικαὶ δὲ καὶ ἠίθεοι ἀταλὰ φρονέοντες
πλεκτοῖς ἐν ταλάροισι φέρον μελιηδέα καρπόν.

Sed adversantur quum multa alia tum scholiastae explicatio ad Apoll. Rhod. α, 409: οὐλοχύτας: οἱ μὲν τὰ κανᾶ, ἐπεὶ δι' αὐτῶν φέρεται τὰ πρὸς θυσίαν, οἱ δὲ τὰς κριθάς, ἐπειδὴ ὅλας ἔβαλλον ἐν τοῖς βωμοῖς. Cf. Eur. Electr. 1142 κανοῦν δ' ἐνῆρκται καὶ τεθηγμένη σφαγίς: ibid. 810 ἐκ κανοῦ δ' ἑλὼν Αἴγ. ὀρθὴν σφαγίδα. Iam reliquos et Comici nostri et comicorum locos percenseamus. Ac primum scholiasta ad. Pac. v. 1. Platonis comici versum affert, quo defendat lectionem μάχαιραν: ἐκέκρυπτο ἐν τῷ κανῷ ἡ μάχαιρα ταῖς ὀλαῖς καὶ τοῖς στέμμασι. Πλάτων ἐν Παιδαρίῳ

Φέρε τοῦτ' ἐμοὶ
δεῖξον τὸ κανοῦν μοι δεῦρο πῆ μάχαιρ' ἔνι.

Ita Meinekius Com. II p. 647 quum post Kusterum edidisset, tamen scribendum suspicatur vel δεῖξον τὸ κανοῦν δεῦρ'· εἰπέ μοι, μάχαιρ' ἔνι; vel εἰπέ, μὴ μάχαιρ' ἔνι; Sed Dindorfius tantum πῆ mutavit in μή. Quo cum loco compares Eur. Iphig. Aul. 1565

Κάλχας δ' ὁ μάντις ἐς κανοῦν χρυσήλατον
ἔθηκεν ὀξὺ χειρὶ φάσγανον σπάσας.

Porro Diphilus ap. Stobaeum Flor. LVII, 2, Mein. Com. IV p. 417 loco sanequam corrupto asellum omnibus rebus ad vitam necessariis onustum cum canistro comparat, in quo, quod Meinekii est additamentum, quidquid ad sacrificium pertineret, condebatur. Quibus locis quum canistrum sacrificale maius quoddam fuisse ostendi videatur, reliquis tamen similis notio non inest. Simpliciter vocatur τὸ κανοῦν in versu Pherecratis ap. Bekk. Anecd. p. 358, 4, Mein. Com. II p. 323, et Philemonis ap. Photium et Suidam s. v. τηνάλλως, Mein. Com. IV p. 16; simpliciter etiam ab Aristophane Ach. 244. 253; Av. 850. 864, quibus tamen locis sacrificium ἄπυρον parari perspicuum est. Aliis denique τὸ κανοῦν ἀρτοφόρον significatur, ut Platonis versu ap. Zenobium Cent. II, 31, Mein. Com. II p. 618, ubi legitur: φησὶ γὰρ ὁ Δίδυμος ὅτι τὰ δεῖπνα ἐπὶ κανῶν ἐκομίζετο: et Nicostrati ap. Athen. III p. 111 c, Mein. Com. III p. 284 — τὸ πάχος (scil. τοῦ ἄρτου) ὑπερέκυπτε τοῦ κανοῦ. Itaque tria canistrorum non dico genera sed specimina et quasi eiusdem generis exemplaria in usu fuisse probabile est, omissis aliis permultis ad varios vitae quotidianae usus idoneis: τὸ κανοῦν sacrificale, τὸ κανοῦν ἀρτοφόρον, τὸ κανοῦν, quod in sacrificiis ἀπύροις adhibitum a canephoris ferebatur. De canephoris vide, quae congessit C. F. Herm. Gottesd. Alt. p. 173 sq. § 36 et p. 278, § 54; Schoem. Gr. Alterth. II p. 373, alii. Iam vero etiamsi lectionem veram esse μάχαιραν concedamus Pacis l. l., tamen etymologiam scholiastae et Etymologi ineptam esse ducimus, quorum hic p. 489, 9: κανοῦν, εἰς ὃ φέρονται ἱερουργικαὶ μάχαιραι. σημαίνει κυρίως τὴν μάχαιραν, οἱονεὶ τὸ καίνειν ἔχον κείμενον, ὅ ἐστι κόπτειν· ἀπὸ τῶν γινομένων

ἐν ταῖς θυσίαις σφαγῶν. Cf. Orion. p. 83. Similiter sed corrupte schol. Pac. v. l., ubi vide Dind., uterque nisi fallor ipso Aristophanis versu edoctus. Quod tamen Etymologus statim emendat et quasi reprimit, quum pergit: σημαίνει δὲ καὶ κανίσκιον. παρὰ τὸ χαίνειν χανοῦν καὶ κανοῦν ἀπὸ τοῦ κεχηνέναι. Τὸ κανοῦν autem quam sit necessaria sacrificii pars praeter reliquos locos a nobis iam allatos praesertim hi ostendunt: Eur. Iphig. Aul. 435 ἀλλ' εἶα κἀπὶ τοισίδ' ἐξάρχου κανᾶ, ibid. 1565. 1569; Dem. κατὰ Ἀνδροτ. p. 618 ἐγὼ μὲν γὰρ οἶμαι δεῖν τὸν εἰς ἱερὰ εἰσιόντα καὶ χερνίβων καὶ κανῶν ἀψόμενον καὶ τῆς πρὸς τοὺς θεοὺς ἐπιμελείας προστάτην ἐσόμενον οὐχὶ προειρημένον ἡμερῶν ἀριθμὸν ἁγνεύειν ἀλλὰ τὸν βίον ἡγνευκέναι —. Cf. Poll. X, 65 καὶ κανοῦν δὲ ἀναγκαῖον ὑπεῖναι. Praeterea ut hoc postremo addam Pollux I, 30 praeter κανᾶ nominat λίκνα, cribra, vannos; qua de voce Harpocrat. et Suid. s. v. λικνοφόρος: τὸ λίκνον πρὸς πᾶσαν τελετὴν καὶ θυσίαν ἐπιτήδειόν ἐστιν. ὁ τοῦτο οὖν φέρων λικνοφόρος λέγοιτο ἄν. Sunt autem αἱ λικνοφόροι, ut docet Athen. V p. 198 e, et οἱ λικν. apud Dem. περὶ τ. στεφ. p. 313, contemptim de Aeschine addentem καὶ λικνοφόρος καὶ τὰ τοιαῦτα ὑπὸ τῶν γρᾳδίων προσαγορευόμενος, quasi hoc tantum mulierum sit munus. Quomodo igitur αἱ λικνοφόροι et αἱ κανηφόροι, τὰ λίκνα et τὰ κανᾶ inter se differrent, nemo, quod sciam, veterum exposuit; τὰ λίκνα tamen ad supellectilem sacrificalem transportandam adhibita fuisse, vel natura rei videtur docere. Quid ergo impedit, quo minus aut λίκνα idem atque κανᾶ significare, aut in cribris reliqua praeter ὀλὰς asservari et transportari contendamus? Ceterum de λικνοφόροις vid. C. F. Herm. l. l. p. 175, § 36; de Baccho Licnita Schoem. l. l. II p. 446, C. F. Herm. l. l. p. 335 sq. § 64.

VI. Hoc igitur in canistro erant αἱ ὀλαί, quae Homero dicuntur vel οὐλαί vel οὐλοχύται magis propter versum quam ut altera pars verbi praeferatur, quaeque unde originem duxerint, satis expositum est a Buttmanno Lexil. I p. 191, suffragante Schoemanno l. l. II p. 212, dissentientibus C. F. Hermanno l. l. p. 129 § 28 et quem uterque laudavit Sverdsioeo in Iahnii Iahrb. Suppl. IV p. 439 sqq. Atque ex ὅλος verbum ortum esse censet

schol. Hom. Il. α, 449, Suid. s. v. οὐλοθυτεῖν, qui addit: καὶ τὰς μὲν κριθὰς μέχρι νῦν ὅλας χέουσιν οἱ ἐπιθύοντες ταῖς σπονδαῖς, schol. Pac. 962: δέον εἰπεῖν „ῥῖπτε τῶν ὅλων κριθῶν" νῦν εἶπε γενικῶς. Hesychius s. v. ὅλαι dedit κριθαί, correctus tamen ab Albertio; idem οὐλοχύτας explicat κανᾶ, vel ab Homero — οὐλ. προβάλοντο refutatus; cf. Apoll. lex. Hom. p. 124. Contra Porphyrius de abstin. II, 6 Graecos primum integro hordeo usos mox ψαιστὰς κριθάς, i. e. farinam in sacrificiis adhibuisse narrat. Breviter schol. Pac. 962 ὀλαὶ αἱ πρὸς θυσίαν κριθαί. Molam vero salsam (Romanorum) οὐλὰς fuisse explicant Eustathius p. 132, 25 — κριθαὶ μετὰ ἁλῶν, schol. Ar. Equit. 1167 ὀλαὶ αἱ μεθ' ἁλῶν μεμιγμέναι κριθαὶ καὶ τοῖς θύμασιν ἐπιβαλλόμεναι, Etym. M. s. v. οὐλοχύτας προβάλοντο p. 641, 29; schol. Apoll. Rhod. α, 409; schol. Hom. Il. α, 449 κριθὰς μετὰ ἁλῶν μεμιγμένας ἐπέχεον τοῖς ἱερουργουμένοις ζῴοις πρὸ τοῦ θύεσθαι: id quod, quanquam ab omnibus ut videtur recentioribus (cf. Meinek. Com. IV p. 559) respuitur, defendi posse ipsis Homeri verbis videtur Od. λ, 122

εἰς ὅ κε τοὺς ἀφίκηαι οἳ οὐκ ἴσασι θάλασσαν,
ἀνέρες, οὐδέ θ' ἅλεσσι μεμιγμένον εἶδαρ ἔδουσιν.

Nam, quem Hermannus laudavit, Athenio, poeta comicus apud Athen. XIV p. 661 a, (de quo vid. Mein. Com. I p. 489, IV p. 557 sqq. qui Atheniconti ei nomen fuisse cum Dindorfio censet allato titulo e Boeckhii Corp. Inscr. II p. 201, 16), nonne tempus etiam Homero antiquius describere videtur? Praeterea Hesychius s. v. οὐλοχύταις exhibet κριθὰς πεφρυγμένας, Equidem aut tuso aut etiam tosto aut integro hordeo Graecos usos propterea dixerim quod Pausanias I, 41, 9 de sacro, quod Megarenses Tereo faciant, narrat: καὶ θύουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος, ψηφῖσιν ἐν τῇ θυσίᾳ ἀντὶ ὀλῶν χρώμενοι. Quidni ψάμμῳ? utrumque videlicet hominibus egenis atque esurientibus patebat, sed hordei integri loco calculis utebantur, farinae loco arena uterentur. Hordei autem sacri usus quam sit necessarius ad sacrificia, docet etiam Agatharchidis narratio ap. Athen. VII p. 297 d, Boeotios anguillas copaides hordeo conspersas diis immolasse, cf. Mueller.

Fragm. Hist. III p. 190. 192; item Herodoti I, 132 quomodo differant Graecorum sacra a Persarum narrantis; Persae enim οὔτε βωμοὺς ποιεῦνται οὔτε πῦρ ἀνακαίουσι μέλλοντες θύειν· οὐ σπονδῇ χρέωνται, οὐκὶ αὐλῷ, οὐ στέμμασι, οὐκὶ οὐλῇσι. Idem Herodotus οὐλάς totius instar sacri nominat I, 160, ubi οὐλὰς κριθέων πρόχυσιν ἐποιεῖτο idem significat quod Homeri οὐλοχύτας προβάλοντο. Eur. Electr. 803, Apoll. Rh. α, 425 προχύτας praebent pro οὐλοχύτας, cf. schol. ad v. Οὐλοχύται denique, quod poetarum verbum esse Poll. I, 33 docet, apud Homerum ab altero nomine οὐλαί nusquam differt, itaque Od. δ, 760 legimus ἐν δ' ἔθετ' οὐλοχύτας κανέῳ.

VII. Praeterea in eodem canistro τὸ στέμμα, quod omisit Pollux I, 33, esse narratur, ac res reliquas vel contegere et obvelare. Schol. Pac. 942: εἰώθασιν ἐπὶ τὸ κανοῦν τὴν μάχαιραν φέρειν κατακρύπτοντες αὐτὴν ταῖς ὀλαῖς καὶ τοῖς στέμμασιν. Στέμματα proprie sacerdotum et sacrificantium sunt. Itaque Pisthetaerus Av. 893 sacerdoti molesto: ἄπελθ' ἀφ' ἡμῶν καὶ σὺ καὶ τὰ στέμματα. Plut. 39 τί δῆτα Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων; scil. τῆς προφητίδος: schol. στέφανοι ἐπὶ τοῦ τρίποδος ἔκειντο, οὓς ἡ Πυθία ἐν τῇ κεφαλῇ φοροῦσα ἐμαντεύετο. Tum vero deorum. Plut. 686 Cario supplex ἔχει τὰ στέμματα, quibus Aesculapium adoret; schol. ὡς ὑγιείας ἔφορος στεφανηφόρος, scil. Ἀσκληπιός. Corona igitur et deorum et sacerdotum et sacrificantium est ornamentum in sacrificiis adhibitum. Eur. El. 778 de Aegistho sacra facturo: δρέπων τερείνης μυρσίνης κάρᾳ πλόκον. Cf. Hom. Il. α, 14 cum schol. et Eust., et α, 28. Coronas autem in templis asservari testantur Batrachomyomachiae auctor v. 179, Thuc. IV, 133. Contra κράσπεδα στεμμάτων Ar. Vesp. 475 fimbriam significat e taenia suspensam recteque schol. R. ὅτι ἀρχαῖοι στέφανοι κατὰ τὸ ὄπισθεν μέρος κράσπεδα εἶχον. Item coronae in epulis adhibitae στέμματα vocabantur, ut testatur Antiphanis fragmentum apud Athen. I p. 28 f. Mein. C. III p. 144:

οἶνός τε Θάσιος καὶ μύρον καὶ στέμματα.

Atque ita scholiasta Homeri l. l., Hesychius, alii στέμματα sim-

pliciter explicant στεφανώματα. Verum στεφάνους proprie in epulis adhiberi permulta comicorum poetarum fragmenta testantur, ex quibus tantum unum Alexidis ap. Athen. XIV p. 642 f, Mein. C. III p. 498 apponere liceat:

'Αρτέον
τράπεζαν, ἀπονίψασθαι δοτέον, προσοιστέος
στέφανος, μύρον, σπονδή, λιβανωτός, ἐσχαρίς,
τράγημα δοτέον ἔτι, πλακοῦντος ἁπτέον:

quippe quod, si ultimus versus omitteretur, fere sacrificii partes necessarias contineret (ἐσχαρίς = βωμός). Ceterum cf. Ind. Mein. Com. V s. v. στέφανος. Verbum autem quod proprie huc pertinet στέφω est, Homero tragicisque usitatissimum. — Iam vero στέμμα a Trygaeo allatum cuinam adhibetur? Procul dubio Trygaeus se ipsum eo ornat, sive coronam sive vittam esse dicis. Ovis enim a servo adducta mox abducitur intus, simulacrum autem Pacis deae in episcenio stat, hominum manibus denegatum. Neque tamen, quum viri doctissimi hostias immolandas coronis ornari vel solere vel posse concedant, quumque apud Homerum bovis cornua vel auro ornentur, Od. γ, 436 sqq., Il. κ, 294, apud Euripidem I. A. 1567 Calchas κρᾶτα ἔστεψεν κόρης, nostro quoque loco si quis ovem a Trygaeo ornari contendat, repugnare ausim. Cf. C. F. Herm. l. l. p. 107 sq. §. 24, Schoem. l. l. p. 211.

VIII. Superest, ut de μαχαίρᾳ, cultro vel gladio sacrificali addamus pauca. Hic igitur varias eiusdem ut videtur rei significationes deprehendere licet. Pollux enim l. l. inter res πρὸς θυσίας enumerat σφαγίδας, κοπίδας, πελέκεις: Hom. Od. γ, 442 πέλεκυν, Euripid. I. A. 1566 φάσγανον, Electr. 911 σφαγίδα ὀρθήν, (σίδηρον, Δωρίδα) et v. 1142; Apoll. Rh. α, 430 χάλκειον πέλεκον et ῥόπαλον, ut Hom. Od. ξ, 425 Eumaeus σχίζῃ δρυὸς caedit; Nonnus V, 9 φάσγανον et v. 14 ἀμφίτομον βουπλῆγα, v. 17 σίδηρον, v. 18 μάχαιραν. At Agamemno μάχαιραν habet,

ἥ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο,

Il. γ, 273; τ, 253. Distinguendum igitur inter πέλεκυν et μάχαιραν, utroque instrumento in maioribus sacrificiis opus est, in

minoribus tantum μαχαίρᾳ. Trygaeus igitur ovem immolaturus solo cultro opus habet, nihilque a Comico praetermissum. Sed Homerus Od. γ, l. l. procul dubio μάχαιραν vel σφαγίδα vel φάσγανον subaudiri iubet, quum Thrasymedem canit bovem securi cecidisse, Pisistratum caesi membra dissecuisse, id quod proprie σφάττειν dicitur v. 454. Itaque in sacrificiis maioribus alius caedit, alius dissecat vel victimam vel hostiam. Securis loco Eumaeus Od. ξ, l. l. σχίζῃ δρυὸς utitur, sed in sacrificio apud Apoll. Rh. l. l. et ῥόπαλον adhibetur, quod frontem caedens animal reddit semianime, et vero πέλεκυς, quo cervix rumpitur atque occiditur animal, et μάχαιρα, qua dissecatur. Contra Nonnus l. l. tantum securim memorat, i. e. ἀμφίτομον βουπλῆγα = πέλεκυν (cf. Eust. ad Il. p. 629, 52; Hesych. s. v. βουπλήξ), ab eodem etiam σίδηρον vocatum v. 17. Idem tamen unum ex sacrificantibus narrat φασγάνῳ vel ἄορι κωπήεντι capillos victimae secare in ignem proiiciendos. Quod num alias cultro sacrificali factum sit, nescitur. Namque Nestor, quomodo capillos secuerit vel ab alio acceptos igni iniecerit, Homerus non canit l. l. v. 446; neque idem Od. ξ, 422, nisi κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλεν. — Itaque duo sunt instrumenta, ni fallor, quae proprie ad immolationem pertineant: securis et culter. Securis autem Graece audit πέλεκυς, sed βουπλήξ, σφαγίς, σίδηρος nomina sunt poetica: culter Graece est μάχαιρα vel σφαγίς vel κοπίς, nisi μάχαιρα, Polluce auctore, poetis debetur; quibus item permittenda nomina φάσγανον, ἄορ. Denique σχίζα, quamquam Homerus voce utitur, aut clavam aut assulam significans orationis pedestris vitaeque quotidianae est, ῥόπαλον poetarum. — Reliquum est, ut de voce μάχαιρα Comicum audiamus. Qui Thesm. 693 sqq., quibus versibus, Euripideis, ut videtur, sacrificii ritum deridet:

ἀλλ' ἐνθάδ' ἐπὶ τῶν μηρίων
πληγὲν μαχαίρᾳ τῇδε φοινίας φλέβας
καθαιματώσει βωμόν,

cultrum quidem intelligi vult, sed possit etiam securis intelligi. Reliquis locis aut gladium, ut Nub. 1063—1066, cf. schol. ad v.,

aut cultrum significat, ut Equit. 412. 489 (μαχαιρίδιον), Ach. 849 (tonsorium ut μάχαιραι κουρίδες Cratini ap. Polluc. X, 140, Mein. C. II p. 38, et μαχαίρᾳ ξύστ' ἔχων τριχώματα Ephipp. ap. Athen. XI p. 509 c, Mein. C. III p. 332, et μαχαιρίς Poll. X, 89). Sed sacrificalis culter intelligendus in fragm. Arist. ap. Athen. IV p. 173 d, Bergk. ap. Mein. C. II p. 1179; item in Platonis fragmento supra allato: mensarius reliquis locis, quos afferre supersedeo, vid. Ind. ap. Mein. C. V s. v.; gladius ap. Poll. X, 138 ex Apollod. Gel., Mein. C. IV p. 439. Etiam κοπίς ter in fragmentis comicorum obvia et culinaria et militaris. — Cf. C. F. Herm. l. l. p. 129 sq., Schoem. l. l. p. 211.

IX. Verumenimvero aliis rebus ad sacrificandum opus est, quas aut omnino praetermisit aut certe initio nominare omisit Comicus: τὸ σφαγεῖον dico sive τὸ ἀμνίον, τὴν χέρνιβα, τὸ δαλίον. Quamquam τὸ δαλίον, torrem, v. 949 (959) memoratum nihil attinet antea primis Trygaei versibus inesse, quum sufficiat ignem ab eo et nominari et monstrari. Cuius vero ignis focus quam pusillus fuerit, facile intellectu est, modo Aristophanem sequens senem una et canistrum et focum et, ut videtur, τὴν χέρνιβα afferre animadvertas. Sed tamen infra quum senex imperet servo: ὄπτα οὐ καλῶς, utique igni focoque opus est, nisi contendere malis haec omnia servi negotia intra domum fieri eaque per ianuam apertam a spectatoribus conspici potuisse. Cui repugnat v. 1020 ἀλλ' εἴσω φέρων, repugnat denique tota scena. — Num vero σφαγεῖον inter res sacrificales Trygaei fuerit dubium est. Commemoratur ab Euripide El. 800, Arist. Thesm. 754

δός μοι σφαγεῖον Μανία
ἵν' οὖν τό γ' αἷμα τοῦ τέκνου τοὐμοῦ λάβω:

ubi schol. τοῦτο αἱματοδεκτικὸν ἀγγεῖον, ὃ εἶπεν ὁ ποιητὴς ἀμνίον. Eadem Suid. s. v. et Hesychius, qui tamen falso in ed. Alb. σφάγιον. Eur. Iph. Taur. 335: ὁ δ' — εἰς χέρνιβάς τε καὶ σφαγεῖ' ἔπεμπέ σοι i. e. ὅπως θύσεις. Sed Aesch. Ag. 1056 (1092) cum Dobraeo scribendum ἀνδροσφαγεῖον, homicidium. Poll. X, 65 καὶ σφαγεῖον, εἰ θύεις, ὑφέξει τις τῷ τῶν ἱερείων αἵματι. Hoc igitur vas etiam ἀμνίον vocatur ab Hom. Od. γ. 444, de cuius

accentu scripturaeque varietate multa congesta sunt in H. Stephani lexico s. v., pleraque tamen ex Eustathio p. 1476, 36 sqq., Bekk. Anecd. p. 792, 24, Hesych. s. v. cum not.

Alterum vas ἡ χέρνιψ, ut vulgo nominatur a potiori, sive ut rectius Pollux docet X, 65 τὸ χερνιβεῖον allato Aristophanis versu: τὸ χερνιβεῖον πρῶτον· ἡ πομπὴ σαφής. Ita Bekkerus: Bentleius Ep. ad Hemsterh. p. 66: πρῶτον ἐκ πομπῆς ἄφες. Mein. C. III p. 35 χερνιβεῖον probavit, reliqua intacta reliquit. At fallitur Bentleius, χερνιβείῳ utique in pompa opus est; eadem forma fortasse Athenaeo vel potius Aristophani reddenda ap. Ath. IX p. 409 c, sed Bergk. ap. Mein. II p. 1074 χερνίβιον, vocem per se optimam edidit. Apud Homerum quidem constat τὴν χέρνιβα aquam significare, vas autem in quo affertur πρόχοον, alterum, in quod super manus effunditur, λέβητα esse. Atque ita ἡ χέρνιψ quum per se aquam significat, qua manus et ante coenam et ante sacrificium abluuntur, ut Av. 896, Lysistr. 1129, tum vero ubi vasa memorantur. Verumtamen nostro loco 946 (956)

ἄγε δὴ τὸ κανοῦν λαβὼν σὺ καὶ τὴν χέρνιβα
περίιθι —

manifestum est, τὸ χερνιβεῖον subaudiendum esse. Sic in fragmento Stratonis v. 39 apud Ath. IX p. 382 c, Mein. Com. IV p. 546, et apud Arist. Av. 850

παῖ παῖ, τὸ κανοῦν αἴρεσθε καὶ τὴν χέρνιβα,

et 958

αὖθις σὺ περιχώρει λαβὼν τὴν χέρνιβα.

Eur. Iph. Aul. 1569

λαβὼν κανοῦν ἔθρεξε χέρνιβάς θ' ὁμοῦ,

plurali numero propter versum posito. — Ceterum de accentu cf. H. Steph. Thes. s. v., Mein. Com. II p. 429, qui Athenaei praeceptum, IX p. 409 a. χερνίβα apud tragicos comicosque legi narrantis, non recte videtur sequutus esse. — Verbum χερνίπτεσθαι usurparunt Homerus Il. α, 449 et Aristoph. Pac. 951 (961). Cf. Hesych. s. v. χερνιψάμενος et Suid. — Postremo

quarto quodam, ut iam supra dixi, vase opus est, quo videlicet ignis vel torres afferantur a Trygaeo quodque in sacrificiis extraordinariis, quale nunc Comicus depingit, potuit sane necessarium esse. Cui si nomen fuisse πυρείῳ vel πυροδέγμονι demonstrare possem, laetarer. An senem torrem unum semiustum protulisse mavis? eumque in ara collocasse fumantem? Vtut res se habet, Trygaeum profecto impigre egisse concedes. Ceterum cf. C. F. Herm. l. l. p. 128, Schoem. l. l. p. 211 sq.

X. Rebus sacrificalibus enumeratis, ad primam sacrificii partem, quae est praeparatio, aggredimur. Praesto enim servus cum ove immolanda, praesto reliqua, ut par est, omnia. Pariter in aliis quas comparavimus sacrificiorum descriptionibus, antequam ipsa res divina fieret, res necessarias diligenter paratas esse reperimus. — Trygaeus igitur ad servum:

ἄγε δὴ τὸ κανοῦν λαβὼν σὺ καὶ τὴν χέρνιβα
περίιθι τὸν βωμὸν ταχέως ἐπιδέξια.

Schol. τοῦτο πρῶτον ἐποίουν καθαίροντες τὸν βωμόν. Eur. Herc. fur. 926:

ἐν κύκλῳ δ' ἤδη
κανοῦν εἵλικτο βωμοῦ.

Τὸ δεξιὸν vel ἐπιδέξιον utique fausti ominis apparet esse, quum in ipsis signis coelestibus, ut Il. β, 353, ν, 821 (δεξιὸς ὄρνις), Od. ο, 161 al., tum vero in vita humana. Itaque ἐπιδέξια bibebatur in convivio, ἐπιδέξια convivae et canebant et illorum instar Platonicorum sermonem faciebant (Symp. p. 177 d: δοκεῖ μοι ἕκαστον ἡμῶν λόγον εἰπεῖν ἔπαινον Ἔρωτος ἐπιδέξια): proci ἐπιδέξια arcum tendere conabantur Od. φ, 141 sq. Bibendi vero modus dicitur et τὴν ἐπιδέξια πίνειν, scil. πρόποσιν, Poll. II, 159 ex Eupolide, Mein. C. II p. 560, et τὸν ἐπιδέξια, scil. τρόπον, Anaxandrid. ap. Athen. XI p. 463 f, Mein. C. III p. 161, et ap. Stob. Floril. CXVII, 1, Mein. C. III p. 196; vid. Athen. X p. 432 e, XIII p. 600 e. Etiam vestis a Graecis ἐπιδέξια iniiciebatur, a Thracibus barbarisve ἐπαρίστερα, Av. 1567:

ἐπαρίστερ' (Bergk. ἐπ' ἀριστέρ') οὕτως ἀμπέχει;
οὐ μεταβαλεῖς θοἰμάτιον ὧδ' ἐπιδέξια;

(ἐπὶ δεξιὰ Bergk. δεξιὰν Dind., vid. schol. ad v.) Ἐπιδέξια scribendum esse, docet simile adverbium ἐνδέξια Hom. Od. ρ, 365, Il. α, 597; η, 184; Eur. Hipp. 1360, ubi tamen Nauck. et Kirchh. ἐφέστηκεν δεξιά, ut Thuc. I, 24 pro ἐνδέξια vulgo legitur ἐν δεξιᾷ. Vid. Buttm. Lexil. I p. 173—176. Quin etiam culinae partes singulae singulis coqui artibus assignantur ἐπιδέξια in frgm. Nicomachi apud Athen. VII p. 290 c, Mein. Com. IV p. 583 sqq.; cf. Casaubon. ad l. l. — Alio sensu τἀπιδέξια dictum Av. 1493, ubi vid. schol.

Servus igitur postquam dextrorsum aram circumeundo canistrumque et aquam circumferendo rem sacram quasi inauguravit, Trygaeus ipsam aquam torre immerso consecrat:

φέρε δή, τὸ δαλίον τόδ' ἐμβάψω λαβών.

Ita Eur. Herc. fur. 928:

μέλλων δὲ δαλὸν χειρὶ δεξιᾷ φέρειν,
εἰς χέρνιβ' ὡς βάψειεν, Ἀλκμήνης πόσις
ἔστη σιωπῇ.

Schol. Pacis v. l. τὸ ὕδωρ ἐδόκουν καθαίρειν ἀποβάπτοντές τι τοῦ πυρός. Athen. VII p. 409 b: ἔστι δὲ ὕδωρ, εἰς ὃ ἀπέβαπτον δαλὸν ἐκ τοῦ βωμοῦ λαμβάνοντες, ἐφ' οὗ τὴν θυσίαν ἐπετέλουν καὶ τούτῳ περιρραίνοντες τοὺς παρόντας ἥγνιζον. Cf. Hesych. et Suid. s. v. δαλίον. Hinc emendandum fortasse Lex. Rhet. Bekk. Anecd. p. 316, 31: χέρνιψ, ἄγγος ἐλαίου (ἐλάινον?), εἰς ὃ ἐνέβαπτον τὰς δᾷδας (τοὺς δαλοὺς s. τὰ δαλία?) καὶ περιέρραινον τὸν βωμόν. Non tamen torre in aquam immerso se adspersisse videntur aramque, sed ipsi manum dextram immergebant in aquam torre consecratam. Itaque Trygaeum torrem protinus deposuisse existimandum est.

XI. Iam vero in sequentibus verbis haereo dubius. V. 950 (960) Trygaeus

σείου σὺ ταχέως· σὺ δὲ πρότεινε τῶν ὀλῶν
καὐτός τε χερνίπτου, παραδοὺς ταύτην ἐμοί.

Sunt qui transposuerint versus, id quod facillimum erat; vid. ann. crit. ad v. Apertum est servum cum utroque vase postquam aram circumiit, ante dominum consistere. Dominus ergo

immergit torrem, idem manum suam: itaque retinendum ἐμβάψας. Dominus etiam ovem conspergit loquens σείου σὺ ταχέως. Schol. enim Apoll. Rhod. α, 425 προχύτας explicat: τὸ ὕδωρ, ὃ εἰώθασιν ἐμβάλλειν εἰς τὸ οὖς τοῦ ἱερείου ὑπὲρ τοῦ ἐπινεύειν τὸ ἱερεῖον. Tum servum allocutus σὺ δὲ inquit, quasi altera sit ovis. In his si quid transponendum, verba πρότεινε τῶν ὀλῶν sequi debebant, χερνίπτου praecedere. Sed opem fert Homerus Od. γ, 445

Νέστωρ

χέρνιβά τ' οὐλοχύτας τε κατήρχετο, πολλὰ δ' Ἀθήνῃ
εὔχετ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλων.

At statim versus inversum ordinem praebens sequitur:

αὐτὰρ ἐπεί ῥ' εὔξαντο καὶ οὐλοχύτας προβάλοντο.

Ita prorsus apud Comicum vel metri causa vel negligenter vel Homerice. Servus igitur, qui adhuc vas utrumque in manibus tenet, et hordeum praebere domino iubetur, quo hic ovem conspergat, ipseque aqua se conspergere, domino posteaquam tradiderit τὴν χέρνιβα. Ita enim παραδοὺς ταύτην ἐμοὶ intelligendum arbitror: nam quo respiciat ταύτην nisi ad χέρνιβα profecto non invenies. Servum igitur aut utrumque vas aut alterum aqua repletum deposuisse cogitandum est. Equidem eum manu sinistra alterum retinuisse existimo, manum autem dextram in aquam consecratam immersisse, tum eadem manu et domino hordeum praebuisse et aram ovemque conspersisse (βάλλειν βωμόν vel προβάλλεσθαι) et vero spectatoribus quasi sacrificii participibus iniecisse. Iam quae sequuntur, Comici sunt verba, non civis sacrificantis. Quid vero? si ad ταύτην suppleo τὴν μάχαιραν? Atqui post preces servus ad dominum: λαβὲ τὴν μάχαιραν, neque inter precandum Trygaeum cultrum tenuisse probabile est: quod servorum vel ministrorum negotium esse poetae testantur. Tamen cf. Il. γ, 273; τ, 253 sq. Denique rebus, quae ad inaugurandum sacrificiis necessaria sunt, comparatis superest ut preces fiant. Trygaeus incipit v. 963 (973)

ἀλλ' ὡς τάχιστ' εὐχώμεθ' εὐχώμεσθα δή,

iam antea cohortatus v. 957 ἀλλ' εὐχώμεθα. De versu, qui

varie distribuitur, vid. not. Sed quod una precatur servus, Comico tribuendum est. Apparet enim, tantum dominum sacrificii alta voce preces facere deo, cui sacrificaturus est. Ita Chryses Hom. Il. α, 450 sqq., quippe cui allatae sint hostiae immolandae; ita Agamemno Il. γ, 275 sqq., Nestor Od. γ, 445, Aegisthus Eur. El. 805, Iaso Apoll. Rh. α, 411 etc. Reliqui tacite adstant aut eadem secum precantes, Il. γ, 298, aut etiam poetis fingentibus contraria, ut Orestes Eur. El. 808 sqq. — Iam vero unum omissum est a Comico, quod non debebat, capillos dico hostiae decidendos ignique iniiciendos. Quod vel una cum precibus vel proxime ante factum esse testantur Hom. Od. γ, 452; Il. γ, 273; τ, 254; alii. Quod κατάρξασθαι dici Hesychius tradit s. v. κ. = τῶν τριχῶν ἀποσπάσαι: Hom. Il. τ, 254 ἀπὸ τρίχας ἀρξάμενος, sed idem simpliciter γ, 273 ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας. Sed κατάρχεσθαι etiam de omni praeparatione sacrificii dicitur, ut Av. 959 μὴ κατάρξῃ τοῦ τράγου. Cf. Buttm. Lexil. I p. 101—104.

XII. Precibus finitis altera pars sacrificii continuo sequitur, quae est immolatio. Servus igitur dominum admonet v. 1007 (1017):

λαβὲ τὴν μάχαιραν· εἶθ' ὅπως μαγειρικῶς
σφάξεις τὸν οἶν.

Μαγειρικῶς comici poetae additamentum: exspectabas τεχνικῶς, ἐπισταμένως, ἱερουργικῶς, similia. Atque ita prorsus intelligendum μαγειρικῶς, modo quam arcte epulae cum sacrificiis coniunctae etiam Comici aetate sint, animadvertas. Quod prae ceteris Athenionis fragm. ap. Ath. XIV p. 660 e, Mein. Com. IV p. 557 sqq., docet, omnia humanitatis bona ex arte coquinaria orta esse festive demonstrantis, ut v. 40

καταρχόμεθ' ἡμεῖς οἱ μάγειροι, θύομεν,
σπονδὰς ποιοῦμεν —

At negat Trygaeus se immolaturum aramque Pacis deae sacram sanguine conspersurum, quod

οὐχ ἥδεται δήπουθεν Εἰρήνη σφαγαῖς:

quasi tum demum, licet omnibus paratis diligenter, immolatione neque opus esse neque adeo decere immolari meminerit. Sed

altera est causa sane lepida et necessaria. Iubet servum intus immolare ovem partesque in ara cremandas efferre, addens

χοὔτω τὸ πρόβατον τῷ χορηγῷ σώζεται.

Quis non videt, re vera pecudem in scena mactari non potuisse? Nusquam vero Comicus fraudem facturus est spectatoribus neque eos vult decipi spectaculo. Itaque et supra Trygaeum exclamantem facit ὦ μηχανοποιέ, et hoc loco id quod spectatores norunt omnes, ovem a chorago porrectam chorago servandam esse verbis sanequam simplicibus pronunciat. Nos tamen Comico gratiam habere non possumus, qui libenter, quibus verbis immolationem descripsisset, audissemus. At certe nonnulla attulit: memorantur σφαγαί, αἱματοῦσθαι, θύειν, τὰ μηρία, ἐξελεῖν. De quibus verbis in vulgus notissimis quid addam? Cf. C. F. Herm. l. l. p. 130 sqq. Itaque pauca tantum: pro αἱματοῦν, quod est Eur. Andr. 260

σφάζ' αἱμάτου θεᾶς βωμόν,

paullo usitatius αἱμάσσω, Aesch. Sept. a. Th. 258 μήλοισιν αἱμάσσοντας ἑστίας θεῶν, Eur. Iph. T. 225; cf. Poll. I, 27. Iam quae hoc loco omissa a Comico sunt, ea suppleas ex Homero aliisque scriptoribus, quos capitis huius initio nominavi. Pollux I, 25—33 ingentem verborum copiam praebet. Nos vero quibus propositum est, de Trygaei sacrificio exponere, accuratius reliqua pertractare supersedemus.

XIII. Chorus igitur non patitur rem sacram interrumpi atque intermitti. Cohortatur ergo senem, ut assulas cumulet, quibus femora crementur. Quod senex se μαντικῶς facere respondet; cf. schol. et not. ad v. — Igne autem excitato, mensam apportat senex, cui altera sacrificii pars, videlicet hominum cibus imponatur vel praeparetur. Eius modi mensas in sacrificiis maioribus, quae epulis praecedunt, praesto fuisse perquam veri est simile: vid. Hom. Od. γ, 471 — δαίνυνθ' ἑζόμενοι. Iam vero praesto est servus cum femoribus; at nimis breviter iste τίθεσο inquit τὼ μηρὼ λαβών: quasi ipse omnia illa officia intus explevisset, quae ab Homero aliisque fusius enumerantur, veluti διαχεῖν, μηρία τάμνειν, τὰ δίπτυχα ποιεῖν, κνίσῃ καλύπτειν, ὠμο-

θετεῖν. — Idem statim reliqua domo effert: τὰ σπλάγχνα καὶ τὰ θυλήματα. Sexcenties τὰ σπλάγχνα apud poetas et scriptores obvia; τὰ θυλήματα Hesych. s. v. explicat βεβρεγμένα μέλιτι ἄλφιτα ἢ θυμιάματα ἐπὶ βωμῶν, Suid. s. v. = πέμματα, ἀπαρχάς, ἄλφιτα, ἃ ἔμισγον οἴνῳ καὶ ἐλαίῳ, εἰς θυσίαν ἀναφέροντες: eadem Photius s. v., similia Tim., lex. Hom. s. v. θυήματα: θυμιάματα. ἄλφιτα δέ ἐστι ταῦτα οἴνῳ καὶ μέλιτι δεδευμένα, vid. Ruhnken. ad Tim. p. 144. Dixit θυλήματα Pherecrates ap. Clem. Alex. Strom. VII p. 846, Mein. C. II p. 261 sq., Plato ap. Athen. X p. 441 c, Mein. C. II p. 674 sq. Haec vero liba panis loco (σίτου ἐν κανέῳ) epulis quoque sacrificalibus adhibita videntur esse. Natura quidem formaque differunt, non tamen ut videtur usu a placentis, quibus nomen est ποπάνοις quaeque ad ἀπαρχὰς et προθύματα pertinent. Eorum saepius Comicus meminit, ut coniunctim cum θυλήματα Plut. 660:

ἐπεὶ δὲ βωμῷ πόπανα καὶ θυλήματα
καθωσιώθη μέλανος Ἡφαίστου φλογί,

ubi vid. schol., ibid. 680; Thesm. 285; Eccles. 843. Cf. Hesych. Suid. Phot. s. v. θυλήματα, Bekk. Anecd. p. 294, 27, et not. nostr. ad v., C. F. Herm. l. l. p. 113 de verbis πέλανοι, πόπανα, ψαιστά, πέμματα, Lobeck. Aglaoph. p. 1060 sqq.; Tim. lex. Hom. s. v. πόπανα, p. 220 Ruhnk., item Hesych. Suid. s. v. et schol. Plat. p. 404 Bekk.

XIV. Trygaeus dum femora cremanda curat sive potius speciem praebet cremandi, servum exta torrere iubet. In his animadvertas velim non consentire Comicum cum Homero. Ὁ ποιητὴς quidem primum femora cremari canit, cum femoribus una torreri exta, quibus crematis tostisque reliquas pecudis partes, quas edere fas est et consuetudo, in parva frusta concisas torreri verubus. Constanter enim

αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ' ἐκάη καὶ σπλάγχν' ἐπάσαντο,
μίστυλλόν τ' ἄρα τἆλλα καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειρον.

Comicus vero, dum servus exta torret, Trygaeum facit clamantem 1043 (1053):

ὄπτα σὺ σιγῇ κἄπαγ' ἀπὸ τῆς ὀσφύος.

Satis haec explicavit scholiasta, quem vide ad v. Os sacrum igitur et cauda ad res pertinent sacrificandas, igneque cremantur. Vnde sequitur opinor, ut sacrificatio nondum sit finita, quum incipiat epularum praeparatio. — Sed audiatur etiam altera pars. Etenim Trygaeus versu 1031 (1041)

ἐμοὶ μελήσει ταῦτά γ', ἀλλ' ἥκειν ἐχρῆν,

satis mihi videtur indicare ipsorum femorum cremationem iam perfectam esse. Quare servum celeriter reducem admonet: ὄπτα καλῶς νῦν αὐτά (τὰ σπλάγχνα). Neque obstat, quod Hierocles rogat:

τίς ἡ θυσία ποθ' αὑτηί, καὶ τῷ θεῶν;

quum ἡ θυσία etiam de epulis cum sacrificio coniunctis dici potuerit; cf. C. F. Herm. l. l. p. 131. Itaque, quum iam epulae parentur, Trygaeus v. 1052 (1062) dicit: Εἰρήνῃ γὰρ ἱερὰ θύομεν. Denique haec caudae ossisque sacri observatio pars quasi posterior sacrificii videtur fuisse, comparanda ea nisi fallor cum linguae praecisione, quam imperat Nestor Od. γ, 332: ἀλλ' ἄγε τάμνετε μὲν γλώσσας, κεράασθε δὲ οἶνον, ὄφρα — σπείσαντες κοίτοιο μεδώμεθα, cuiusque meminit Hierocles importunus v. 1050 (1060) ἡ γλῶττα χωρὶς τέμνεται. Respondet Trygaeus, tanquam possit negligi: μεμνήμεθα. Lingua autem ad exta pertinet; cf. v. 1100 (1110). — Iam vero satis multa Comicus neglexit, maximam partem ex Homero supplenda: e. g. vinum, quod infunditur carni cremandae, ἐπὶ δ' αἴθοπα οἶνον λεῖβε, tum τὸ μιστύλλειν, τὸ ἀμφ' ὀβελοῖσι πείρειν, τὸ ἐρύεσθαι. Πεμπώβολα quidem Pollux I, 33 vocem poeticam dixit; item nonnulla intus confecta Comicus fingit; quin etiam vinum quod deest, simplici civi atque egeno tribuas. At certe veru torret exta, eiusque specimen vident spectatores.

XV. Paratae fere sunt epulae, tertia sacrificii pars. Apparet Trygaeum protinus epulaturum, sed intercedit Hierocles, sibimet primitias deposcens v. 1046 (1056)

ἄγε νῦν ἀπάρχου κᾆτα δὸς τἀπάργματα.

Quo initium tertiae partis significari animadvertas, non, ut apud Homerum Od. γ, 446; Il. τ, 254 al., secundae. Pro ἀπάργματα

Hom. Od. ξ, 446 dixit ἄργματα eadem notione. Rursus Trygaeus servo imperat:

κατάτεμνε. ποῦ τράπεζα; τὴν σπονδὴν φέρε.

In his κατάτεμνε cum Homerico ἐρύεσθαι comparaverim. Neque tamen assident epulaturi; quin etiam Trygaeus ab Hierocle male habitus aut gustat carnem aut videt nondum satis assam esse; itaque v. 1064 (1074) τοῖσδ' ἁλσί γε παστέα ταυτί. Quod tamen ita instituit poeta, ut vatem famelicum carpat et conterat. Tandem v. 1093 (1103) Trygaeus initium facit

ἔγχει δὴ σπονδήν· καὶ τῶν σπλάγχνων φέρε δευρί.

Continuo sequitur exclamatio σπονδή σπονδή, qua silentium imperabatur utque, qui adessent, attento essent animo, perinde ac formula ista initio sacrae rei necessaria: εὐφημία 'στω, qua Aristophanes hac in scena usus non est. Cf. C. F. Herm. p. 129. Debebat autem Trygaeus εὐφημία 'στω vel εὐφημεῖτε clamare, quo loco clamat ἀλλ' ὡς τάχιστ' εὐχώμεθ' εὐχώμεσθα δή, v. 963. (De variis libationis generibus v. C. F. Herm. l. l. p. 110. 114; Schoem. l. l. p. 203.) — Postremo libatione facta senex spectatores rogat, ut sint convivae:

ἄγε δὴ θεαταί, δεῦρο συσπλαγχνεύετε
μετὰ νῷν!

Verbum συσπλ. tantum hoc loco, quod sciam, obvium; quo simul deridetur vates, qui continuo clamaverat σπλάγχνα. Homerus eius loco dicere solet χεῖρας ἰάλλειν. Verumtamen quominus Trygaeus cum Homero canere possit:

αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο,

Hierocles impedit, qui de extis aliquid surripere conatur. Itaque verberant ac persequuntur furem fugacem; deserunt scenam, ultima sacrificii parte vix inchoata. At nos quoque huius capitis scena eximus benevolos lectores, ne palato sint nimis delicato, orantes verbis Trygaei:

ἄγε δὴ θεαταί, δεῦρο συσπλαγχνεύετε
μετ' ἐμοῦ.

ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΕΙΡΗΝΗ

ΥΠΟΘΕΣΙΣ

I.

Ἤδη τῷ Πελοποννησιακῷ πολέμῳ κεχμηῶτας τοὺς Ἀθηναίους καὶ τοὺς σύμπαντας Ἕλληνας Ἀριστοφάνης ἰδών, ἱκανὸς γὰρ διιππεύκει πολεμούντων αὐτῶν χρόνος, τὸ δρᾶμα συνέγραψε τοῦτο, προτρέπων τὰς πόλεις καταθέσθαι μὲν τὴν πρὸς αὐτὰς φιλονεικίαν, ὁμόνοιαν δὲ καὶ εἰρήνην ἀντὶ τῆς πρότερον ἔχθρας ἑλέσθαι. παρεισάγει τοίνυν γεωργόν, Τρυγαῖον τοὔνομα, μάλιστα τῆς εἰρήνης ἀντιποιούμενον. ὃς ἀσχάλλων ἐπὶ τῷ πολέμῳ εἰς οὐρανὸν ἀνελθεῖν ἐβουλεύσατο πρὸς τὸν Δία, πευσόμενος παρ' αὐτοῦ, δι' ἣν αἰτίαν οὕτως ἐκτρύχει τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα, τοσοῦτον ποιήσας πόλεμον αὐτοῖς. ὃν δὴ διαποροῦντα, τίνα τρόπον τὴν εἰς οὐρανὸν πορείαν ποιήσει, παρεισάγει τρέφοντα κάνθαρον ὡς ἀναπτησόμενον εἰς οὐρανὸν δι' αὐτοῦ, Βελλεροφόντου δίκην. προλογίζουσι δὲ οἱ δύο θερά-

Integrum hoc argumentum exhibent ed. Aldina, Iuntina II, Frobeniana, Genevensis, Amstelodamensis Kusteri et pleraeque editiones recentiores: omisso additamento ut ita dicam didascalico legitur in edd. Cratandria, Wecheliana Brubachiana, Plantiniana Raphelengii. Omni argumento caret ed. Iuntina III. Denique argumenti loco versus Florentis graece compositos receperunt ed. Lugdunensis Mairii et Amstelodamensis a. 1670.

lin. 1. κεχμηῶτας R. V. Bekk. Inv. recc., κεχμηκότας antea vulgo.

l. 4. αὐτάς R V. (αὑτάς Inv.) Bekk. recc., ἀλλήλους vulgo.

l. 6. ἀντιποιούμενον R. V. vulgo. αὐτὸν ποιούμενον Inv.

l. 9. ἐκτρύχει R. V. Kust. Bekk. recc. ἐκτρέχει Ald. Frob. Port. Amstel.

ποντες αὐτοῦ, οἷς καὶ ἐκτρέφειν προσετέτακτο τὸν κάνθαρον, δυσφοροῦντες ἐπὶ τοῖς αὐτοῦ σιτίοις. ἡ δὲ σκηνὴ τοῦ δράματος ἐκ μέρους μὲν ἐπὶ τῆς γῆς, ἐκ μέρους δὲ ἐπὶ τοῦ οὐρανοῦ. ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἔκ τινων ἀνδρῶν Ἀττικῶν γεωργῶν.

Φέρεται ἐν ταῖς διδασκαλίαις καὶ ἑτέραν δεδιδαχὼς Εἰρήνην ὁμοίως ὁ Ἀριστοφάνης. ἄδηλον οὖν φησιν Ἐρατοσθένης, πότερον τὴν αὐτὴν ἀνεδίδαξεν, ἢ ἑτέραν καθῆκεν, ἥτις οὐ σώζεται. Κράτης μέντοι δύο οἶδε δράματα γράφων οὕτως· ἀλλ' οὖν γε ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσιν ἢ Βαβυλωνίοις ἢ ἐν τῇ ἑτέρᾳ Εἰρήνῃ. καὶ σποράδην δέ τινα ποιήματα παρατίθεται, ἅπερ ἐν τῇ νῦν φερομένῃ οὐκ ἔστιν.

Inv. ἐκτρέπει Iunt. II. Crat. Wechel. Brub.

l. 13. δυσφοροῦντος V.

l. 17. φέρεται R. vulgo. φαίνεται V. Bergk.

— ὅτι καὶ ἑτέραν δεδίδαχεν ὁμοίως Ἀ. Ald. Iunt. Frob. Port. Kust.

— ὅτι καὶ ἑτέραν non legitur in R. V. Inv. Dübn. δεδιδαχὼς R. V. Inv. Bekk. recc. καὶ ἑτέραν δεδιδαχὼς Bekk. Dind. Bergk.

— ὁμοίως ὁ R. V. Inv. Bekk. Dind. Bergk. ὁ antea omissum. ὁμώνυμος ὁ Dind. in Oxon. Duebn.

l. 20. οἶδεν R. V. Inv. Bekk. οἶδε Dind. Bergk. — εἶπε Ald. Iunt. Frob. Port. Kust.

l. 22. σπ. διά τινα V.

II.

Τρυγαῖος ἄγροικος πρεσβύτης Ἀθήνησιν ὀχούμενος ἐπὶ κανθάρου ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναφέρεται. γενόμενος δὲ κατὰ τὴν τοῦ Διὸς οἰκίαν ἐντυγχάνει τῷ Ἑρμῇ καὶ ἀκούει ὅτι μετοικισαμένων τῶν θεῶν εἰς τὰ τοῦ οὐρανοῦ ἀνωτάτω διὰ τὴν τῶν Ἑλλήνων ἀλληλοκτονίαν, ἐνοικισάμενος ὁ Πόλεμος εἰς ἄντρον τὴν Εἰρήνην εἵρξας λίθους ἐπιφορήσειε, καὶ νῦν μέλλει τὰς πόλεις ἐμβαλὼν ἐν θυείᾳ τρίβειν. καὶ μέχρι μέν τινος ἐναγώνιος γίνεται· ἐπεὶ δὲ μεταπεμπομένου τοῦ Πολέμου παρὰ Ἀθηναίων δοίδυκα Κλέωνα καὶ παρὰ Λακεδαιμονίων Βρασίδαν ἑκάτεροι χρήσαντες ἀπολωλεκέναι εἰς Θρᾴκην ἔφασαν, ἀναθαρρεῖ· καὶ ἐν ᾧ περὶ κατασκευὴν δοίδυκος ὁ Πόλεμος γίνεται, κηρύττει τοὺς δημιουργούς, ἔτι δὲ καὶ ἐμπόρους ἅμα μοχλοὺς καὶ σχοινία λαβόντας παραγενέσθαι. συνδραμόντων δὲ πολλῶν ἐν χοροῦ σχήματι προθύμως ἀφέλκει τε τοὺς λίθους ἀπὸ τοῦ ἄντρου, καὶ καθικετεύσας τὸν Ἑρμῆν συλλαβέσθαι ἐξάγει πρὸς τὸ φῶς τὴν Εἰρήνην. ἀσμένως δὲ τῆς θεᾶς πᾶσιν ὀφθείσης καὶ παρ'

Ita primus Bekkerus e codicibus Venetis (474 et 475) argumentum edidit pluribus locis aut mutilum aut obscurum. In Aldina, Iuntina, Frobeniana, Amstelodamensi Porti, Lugdunensi Kusteri argumentum ab iisdem verbis incipiens mox in brevius contractum est. Quod hic repetere nihil attinet. In iisdem edd. fragmentum didascalicum disparuit.

l. 2. ἀναφερόμενος V.

l. 3. ἀκούσας V. Ald. ἀκούει Port.

l. 5. ἐνοικησάμενος V. ἐνοικίσας Ald. vulgo. ἐνοικισ. Bekk. recc.

l. 6. ἄντρον τι τὴν Εἰ. εἵρξας V. τὴν Εἰρ. καὶ καθείρξας Ald. vulgo ante Bekk.

— ἐπιφορήσειε V. Bekk. recc. ἐπεφόρησε Ald. vulgo ante Bekk.

αὐτὴν εὐθέως Ὀπώρας τε καὶ Θεωρίας ἀναφανεισῶν, συμπαρὼν ὁ Ἑρμῆς ἀνιστορούσης τι τῆς Εἰρήνης καὶ πυνθανομένης τὰ περὶ τὸν Τρυγαῖον διασαφεῖ τὰ δέοντα· πάλιν ἀποφαινομένης πρὸς τοῦτο μηνύει, προδιελθόντος αὐτοῦ καὶ περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ πολέμου καὶ δι' ἃς αἰτίας συνέστη, Φειδίου τε καὶ Περικλέους μνησθέντος. τὰ λοιπὰ τοῦ δράματος ἐπὶ τῆς γῆς ἤδη περαίνεται. καὶ ὁ μὲν χορὸς περὶ τῆς τοῦ ποιητοῦ τέχνης χἀτέρων τινῶν πρὸς τοὺς θεατὰς διαλέγεται, ὁ δὲ Τρυγαῖος, καθὰ συνέταξεν ὁ Ἑρμῆς, τὴν μὲν Θεωρίαν τῇ βουλῇ συνέστησεν, αὐτὸς δὲ τὴν Ὀπώραν γαμεῖν διαγνοὺς τὴν Εἰρήνην ἱδρύεται καὶ οὔσης ἐν τῷ προφανεῖ πρὸς εὐωχίαν τρέπεται. ἐντεῦθεν οἵ τε τῶν εἰρηνικῶν ὅπλων δημιουργοὶ χαίροντες καὶ οἱ τῶν πολεμικῶν τοὔμπαλιν κλαίοντες. εἰσάγεται δὲ καὶ ἐπὶ τέλει τοῦ λόγου παιδία τινὰ τῶν κεκλημένων ἐπὶ τὸ δεῖπνον λέγοντα ῥήσεις γελωτοποιούς. τὸ δὲ δρᾶμα τῶν ἄγαν ἐπιτετευγμένων. τὸ δὲ κεφάλαιον τῆς κωμῳδίας ἐστὶ τοῦτο· συμβουλεύει Ἀθηναίοις σπείσασθαι πρὸς Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας. οὐ τοῦτο δὲ μόνον ὑπὲρ εἰρήνης Ἀριστοφάνης τὸ δρᾶμα τέθεικεν, ἀλλὰ καὶ τοὺς Ἀχαρνεῖς καὶ τοὺς Ἱππεῖς καὶ Ὁλκάδας. καὶ πανταχοῦ τοῦτο ἐσπούδακεν, τὸν δὲ Κλέωνα κωμῳδῶν τὸν ἀντιλέγοντα, καὶ Λάμαχον τὸν φιλοπόλεμον ἀεὶ διαβάλλων. διὸ καὶ νῦν διὰ τούτου τοῦ δράματος εἰρήνης αὐτοὺς ἐπιθυμεῖν ποιεῖ, δεικνὺς ὁπόσα μὲν ὁ πόλεμος κακὰ ἐργάζεται, ὅσα δὲ ἀγαθὰ ἡ εἰρήνη ποιεῖ. οὐ μόνος δὲ περὶ τῆς εἰρήνης συνεβούλευσεν ἀλλὰ καὶ ἄλλοι πολλοὶ ποιηταί. οὐδὲν γὰρ συμβούλων διέφερον· ὅθεν αὐτοὺς καὶ διδασκάλους ὠνόμαζον, ὅτι πάντα τὰ πρόσφορα διὰ δραμάτων αὐτοὺς ἐδίδασκον. ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου ἐν ἄστει· πρῶτος Εὔπολις Κόλαξι, δεύτερος Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ, τρίτος Λεύκων Φράτορσι. τὸ δὲ δρᾶμα ὑπεκρίνατο Ἀπολλόδωρος ἡνίκα Ἑρμῆν λοιοκρότης.

l. 17. τε τὰ περὶ V. τε om. Bekk. recc.

l. 18. δέω V. δέοντα Ven. 475. Dind. Duebn. Bergk.

l. 25. οὖσα V. Bekk. Dind. Duebn. οὔσης suspic. Bergk.

l. 26. ὅπλων γεωργοί V.

l. 29. γελλωτοποιούς V.

l. 29. ἐπιτετευγμένων V. ἐπιτετηδευμένων Dind.

l. 32. τέθεικεν V. καθῆκεν coni. Dind.

l. 41. πρῶτον — δεύτερον V. Bekk. πρῶτος — δεύτερος Dind. Duebn. Bergk.

l. 43. vide Proleg. p. 1 sq. 22 sq.

ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΟΥ ΥΠΟΘΕΣΙΣ

Τῷ Διὶ φράσαι σπεύδων τὰ κατ' ἀνθρώπους Τρυγαῖος θέλων ὡς τοὺς θεοὺς ἐξέτρεφεν ὄρνιθας· ὡς δ' ἀνέπτη κατέλαβεν Ἑρμῆν μόνον ἄνω. κᾆτ' ἐπιδείκνυσι φράσας τὸν πόλεμον βρύθηται (sic B. βρύθει τε cod. Ven. 475) ἀπηρτημένον ἀέριος ἕτοιμόν τ' ὄντα πρὸς κακουχίαν, τὴν πρότερον Εἰρήνην δὲ κατορωρυγμένην. ἱκέτευσαν οἱ κατ' ἀγροὺς ἀνάπαλιν ποεῖν. τὸ μὲν κατένευσε (βα δ' ἐπένευσε V. καδδ' ἐπένευσε V. 475). καὶ τότε ἀπάγουσιν αὐτὴν τὴν ἐκ βερέθρου καὶ τἀγαθά.

Haec tam misere lacera sunt, ut videantur consulto perturbata ac disiecta. Versus trimetros fuisse, ex reliquiis Aristophanis Byzantii ad Comicum argumentis constat; sed quales fuerint versus neque Dindorfius neque Bergkius satis ostenderunt. Equidem quales potuerint esse, satis habeo indicare:

Τῷ Διὶ φράσαι σπεύδων τὰ κατ' ἀνθρώπους πάθη
Τρυγαῖος ἀέριός τ' ἐθέλων ὡς τοὺς θεούς,
ἐξέτρεφεν ὄρνιθ'· ὡς δ' ἀνέπτη κατέλαβεν
Ἑρμῆν μόνον ἄνω. κᾆτ' ἐπιδείκνυσι φράσας
ἐχθὲς ἀπιόντα μὲν Δία κἀπηρτημένον, (κἀξῳκισμένον?)
τὸν δὲ Πόλεμον βρίθοντα πρὸς κακουχίαν,
τὴν πρότερον Εἰρήνην δὲ κατορωρυγμένην.
ὡς δ' ἱκέτευσαν οἱ κατ' ἀγροὺς ἀνάπαλιν
αὐτὴν ποιεῖν, ὁ μὲν κατένευσε· καὶ τότε
ἀνάγουσιν αὐτὴν ἐκ βερέθρου καὶ τἀγαθά.

Dindorfii Bergkiique coniecturas, satis speciosas illas, ut in re prorsus incerta enumerare supersedeo.

Personarum catalogum omisit R., pagina vacua. In V. talis exstat secundum Bekkerum:

Θεράποντες.	Τρυγαῖος.
Τὰ παιδία τοῦ Τρυγαίου.	Ἑρμῆς.
Χορὸς γεωργῶν Ἀθμονέων.	Ἱεροκλῆς μάντις χρησμολόγος.
Δρεπανουργός.	Ὁπλοποιός.
Δορυξόος.	Υἱὸς Λαμάχου.
Υἱὸς Κλεωνύμου τοῦ ῥιψάσπιδος.	

In Aldina hic est personarum ordo:

ΤΑ ΤΟΥ ΔΡΑΜΑΤΟΣ ΠΡΟΣΩΠΑ

Οἰκέτης.	Ἕτερος οἰκέτης.	Τρυγαῖος.
Παῖδες Τρυγαίου.	Ἑρμῆς.	Πόλεμος. Κυδοιμός.
Χορὸς γεωργῶν ἀθμονέων.	Θεράπων Τρυγαίου.	Ἱεροκλῆς.
Δρεπανουργός.	Λοφοποιός.	Θωρακοπώλης.
Σαλπιγγοποιός.	Κρανοπώλης.	Δορυξόος.
Παῖς Λαμάχου.	Παῖς Κλεωνύμου.	

Ita Iunt. II et Froben. nisi quod haec editio tribus columnis sena habet personarum nomina. Duabus columnis eundem undeviginti personarum partiumve numerum exhibent edd. Crat. Wechel. Iunt. III. Brub. Raphel., item sed directo non transverso ordine Mair. Amstel., eundem porro numerum sed una columna comprehensum Port. Kust. Burm. Novam catalogi speciem dedit Brunckius, una columna usus: Οἰκέται δύο Τρυγαίου. Τρυγαῖος. Κόραι θυγατέρες Τρυγαίου. Ἑρμῆς. Πόλεμος. Κυδοιμός, Χορὸς γεώργων (sic) Ἀθμονέων. Ἱεροκλῆς μάντις. Δρεπανουργός. Λοφοποιός. Θωρακοπώλης. Σαλπιγκτής. Κρανοποιός.

Δορυξόος. Παῖς Λαμάχου. Παῖς Κλεωνύμου: omisso videlicet nomine Θεράποντος, vulgo post Χορὸς γ. ά. exhibiti, et mutato σαλπιγγοποιός in σαλπιγκτής, duobus autem servis uno titulo numeratis. Hunc igitur sedecim nominum titulum repetiverunt Inv. Bekk. Both. sed reposito titulo Σαλπιγγοποιός; eundem sed additis mutarum personarum nominibus in fine tribus: Εἰρήνη. Ὀπώρα. Θεωρία, et omisso additamento ἀθμονέων Dind. (IV edd.) Bergk. (II edd.). Boissonadius post Χορός inculcavit Ἕλληνες ἐκ διαφόρων πόλεων. Λάμαχος. Εἰρήνη. Ὀπώρα. Θεωρία. Πρύτανις. Holden. delevit Θωρακοπώλης et mutavit Κρανοποιός in Κρανοπώλης, quindecim nominibus contentus. Tandem Meinekius omissis titulis, quos omittendos alii antea iudicaverant, Λοφοποιός, Θωρακοπώλης, Σαλπιγγοποιός, et Κρανοποιός, Δορυξός in catalogum personarum mutarum receptis substituit nomen personae novum Ὅπλων κάπηλος: ita ut exceptis his mutis personis numerus titulorum (nam primus, tertius, septimus plures indicat actores choreutasve) ad duodenarium sit reductus; id quod verum esse arbitror, vel Veneti habita ratione.

ΤΑ ΤΟΥ ΔΡΑΜΑΤΟΣ ΠΡΟΣΩΠΑ

ΘΕΡΑΠΟΝΤΕΣ (Οἰκ. α′ β′)
ΤΡΥΓΑΙΟΣ
ΤΑ ΠΑΙΔΙΑ ΤΟΥ ΤΡΥΓΑΙΟΥ (Κόραι)
ΕΡΜΗΣ
ΠΟΛΕΜΟΣ
ΚΥΔΟΙΜΟΣ
ΧΟΡΟΣ ΓΕΩΡΓΩΝ ΑΘΜΟΝΕΩΝ
ΙΕΡΟΚΛΗΣ ΜΑΝΤΙΣ ΧΡΗΣΜΟΛΟΓΟΣ
ΔΡΕΠΑΝΟΥΡΓΟΣ
ΟΠΛΩΝ ΚΑΠΗΛΟΣ
ΥΙΟΣ ΛΑΜΑΧΟΥ
ΥΙΟΣ ΚΛΕΩΝΥΜΟΥ

ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΕΙΡΗΝΗ

ΘΕΡΑΠΟΝΤΕΣ.

ΟΙΚΕΤΗΣ Α.

Αἶρ', αἶρε μᾶζαν ὡς τάχος τῷ κανθάρῳ.

v. 1. ὡς τάχιστα vulgo. scripsi ὡς τάχος τῷ. Idem, ut postea vidi, coni. Kiehl. Mnem. II p. 98.

Pax.

v. 1. Αἶρ'. Exhibent versum Suidas s. v. αἶρε, αἴρειν et μᾶζα, Zonaras s. v. αἶρε, Anecd. Bekk. s. v. αἶρε, p. 358, Orion. Verbum αἴρειν quum potissimum tollendi significatione utatur, non recte h. l. a scholiasta et lexicographis per φέρειν vel προσφέρειν explicatum putaverim. Laborat servus, dum placentam et parat et affert vel admovet; nam et nimia est et nimis foetida. Tali ergo defunctus negotio quasi respirans clamat: ἰδού. Ceterum αἴρειν, licet usum habeat multiplicem, hic cothurnum sapit, maxime si mecum ὡς τάχος legas. Quod Comicus dixit Lysistr. 1187 ἀλλ' ἴωμεν ὡς τάχος et Thesm. 727 πυρπολεῖν θ' ὅσον τάχος: idem Tragici saepissime: inter quos Aeschylus quum Sept. adv. Th. 656 Herm. φέρ' ὡς τάχος dixit, fecit id et propter metrum et sensu verborum iubente.

— αἶρε, αἶρε: schol. ἐπαναδίπλωσις, cuius exempla saepius obvia, cf. infra v. 82. 114. 236. 246. 280. 285. 437. Vesp. 995. 996. Ran. 184. Eq. 19. Ceterum cf. Kidd. ad Dawes. p. 436.

— μᾶζαν; schol. κυρίως ἡ τροφὴ ἡ ἀπὸ γάλακτος καὶ σίτου. — καταχρηστικῶς δὲ τῇ λέξει κέχρηται. Qui sic? Namque de forma cibi, non de cibo ipso, quum scarabaeum stercore, non polenta vesci nemo nesciverit spectatorum, agitur. Quare quod addit schol. πίτυρα δέ τινα ῥυπαρὰ μάττου-

ΟΙΚΕΤΗΣ Β.

ἰδού. δὸς αὐτῷ τῷ κάκιστ' ἀπολουμένῳ.

v. 2—20. Recepi Dobraei distributionem, nisi quod v. 18 servo alteri, v. 19 servo priori, v. 20 sqq. rursus alteri dedi cum libris. Ita Meinekius. Dobraeum sequuti sunt Dindorfius in Parisiensi, iisdem exceptis versibus et in Notis ad Oxoniensem, Bothius, Holdenius; Bergkius, omisso, ut solet, auctoris nomine, in editione altora, qua integram, et in editione priori, qua versuum 6—8 distributionem recepit; probaverunt eundem, non nominarunt, ex parte Engerus, Beerius.

v. 2. ἕτ. ἰδού. οἰκ. δὸς αὐτῷ — ἀπολουμένῳ vulgo. correxit Dobraeus, receperunt Dind. Both. Bergk. Mein. Hold.

— Pro αὐτῷ Bentleius αὐτήν. Possit etiam melius αὐτός, quo distributio verborum vulgata defendatur. Verum αὐτὸς ne Dobraeo quidem repugnat. Qui quum comparaverit v. 1112 παῖ' αὐτὸν ἐπέχων τῷ ξύλῳ τὸν ἀλάζονα, diversa confudisse videtur. Certe Dind. Dobraeo, ut ait, monente τῷ κάκιστ' ἀπολουμένῳ per appositionem adiectum esse ut infra τὸν ἀλάζονα contra Bentleium docuit! Atqui αὐτὸς ὁ nulla interposita voce ubique ipse significat; immo ipse statim infra v. 18 αὐτὴν — τὴν ἀντλίαν vertendum. Lenting. propon. αὐτό.

σιν οἱ οἰκέται, κόπρον γὰρ φυρᾶν ἀπίθανον, insulsum est. Quasi quis crederet fieri id, quod spectatores fieri et vident et credunt.

— κανθάρῳ. Nisi malis verbum nominis proprii instar esse, scribendum erit τῷ κανθάρῳ. At infra v. 23. 73. recte articulus abest. Contra v. 45 et v. 49 de nomine proprio cogitare nos vetant. Ceterum de scarabaei specie erudita quidem Florentis Christiani aliorumque disputatio sed inutilis; sufficit Athenienses monstrum spectasse, quod ingentis scarabaei speciem praeberet. Aliaeque sunt causae, quae poetam moverint, ut eius modi equum frenaret, inprimis obscoenitas et irrisio, tum etiam verborum lusus: cf. v. 42. 47. 723 sqq. 82, 145 etc.

v. 2. ἰδού: schol. παρεπιγραφή, ὁ γὰρ ἕτερος τῶν οἰκετῶν τὸ προσταχθὲν ποιῶν αὐτῷ παραφέρει καὶ ἐπιδίδωσι τὴν τροφήν. Nempe pinsit alter, alter porrigit bestiae; recte igitur is qui pinsit, αἴρει, qui porrigit, φέρει v. 5, recte etiam uterque δίδωσι v. 2. 4. 11. Neque obstat quod v. 15 ad pistorem dicitur φέρ' ἄλλην, suum enim munus iudicat servus prior idem esse atque alterius: neque ergo quaerendum aut v. 15, an scribendum sit δός, aut v. 1, an ἔνεγκε μᾶζαν. Servi autem ante foramen stant harae, quod operculo recluditur v. 20. Beluam ad hunc usque versum ex parte conspicuam fuisse consentaneum est.

— τῷ κάκιστ' ἀπολουμένῳ: usitata Comico formula exsecrandi: cf. Thesm. 879 τῷ κακῶς ἀπολουμένῳ, item κακῶς, Ach. 952. 865; Eccl. 1076; contra κάκιστ' Av. 1467; Pl. 456. 713; Eccl. 1052; Ach. 924. 778. Similiter κάκιστ' ἀπολοίμην Ach. 151. 476; Ran. 588; κάκιον ἀπολοίμην ἂν ἢ σύ Thesm. 203. Alia in fragmentis Comicorum obvia, de quibus vid. Ind. s. v. ἀπόλλυμι. Menander eodem sensu dixit

καὶ μήποτ' αὐτῆς μᾶζαν ἥδίω φάγοι.

ΟΙΚΕΤΗΣ Α.

δὸς μᾶζαν ἑτέραν ἐξ ὀνίδων πεπλασμένην.

ΟΙΚΕΤΗΣ Β.

ἰδοὺ μάλ' αὖθις. ποῦ γὰρ ἦν νῦν δὴ 'φέρες;
οὐ κατέφαγεν;

ΟΙΚΕΤΗΣ Α.

μὰ τὸν Δί', ἀλλ' ἐξαρπάσας
ὅλην ἐνέκαψε περικυκλήσας τοῖν ποδοῖν.

v. 3. φάγοις Brunckius. Qua emendatione non opus, quum infra quoque legamus κατέφαγε et φησίν.

v. 5. Versum servo alteri totum dedit Dobraeus, antea sic divisum: οἰκ. β' ἰδοὺ μάλ' αὖθις. οἰκ. α' ποῦ — κατέφαγεν;

— δὴ 'φερες R. sec. Invern. δ' ἤφερες R. sec. Bekk. V. vulgo. γ' ἤφερες B. Brunckius. Correxerunt Berglerus, Reiskius (δὴ 'φέρες), recepit primus Invernizius.

v. 6. Versus ita distribuit Bentleius οἰκ. β' οὐ κατέφαγεν; οἰκ. α' μὰ — πυκνάς, v. 8.

— κατέφαγεν R. ut videtur, Brunck. Burm. reliqui; antea κατέφαγε vulgo. κατέφαγεν; — οὐ μὰ τὸν Δ. Bergk. ed. II coni.

v. 7. περικυκλίσας R. V. sec. Bekk. (περικυλίσας R. sec. Inv. ut videtur) C. πε-

ἐξώλης ἀπόλοιτο, Ath. XIII p. 559 e, Mein. Com. IV p. 114.

v. 3. ἡδίω; vid. ad v. 1132. — ἡδίω nunc per irrisionem de foetidissimo et immundissimo, quod pinsere potuerit, stercore. Iterum inepte scholiasta: οὐχ ὡς ὄντως τρωγοντος ἀλλὰ πρὸς τὸ μυθευόμενον ἔπαιξεν. Pessimus atque inficetissimus quisque spectator eius modi scholiasta foret, qui non crederet quae spectaret.

v. 4. ὀνίδων: schol. τὰ τῶν ὄνων ἀποπατήματα. cf. Polluc. V, 91.

v. 5. νῦν δή: schol. οὕτως 'Αττικοὶ ἀντὶ τοῦ ἀρτίως, modo. cf. Dobr. ad Thucyd. VI, 24, Scholef. I p. 87.

— μάλ' αὖθις formula tragicis usitata ut αὖθις αὖ, αὖθις πάλιν, αὖθις αὖ πάλιν. Praecedit οἴμοι Aesch. Ag. 1305, ubi Hermannus non recte interpungit οἴμοι, μάλ' αὖθις, vel αἰαῖ ut Med. 1009, Troad. 629, vel οἵ 'γὼ Orest. 1020, vel ὠή Phoen. 1069. ὤμοι μ. ἀ. Hec. 1037. Comicus οἴμοι dixit Pl. 935, ἰδοὺ μ. α. Nub. 670, eodem sensu μάλ' αὖ Lys. 144. cf. Av. 1415. Soph. El. 1410.

v. 7. ἐνέκαψε: schol. φαγεῖν — τὸ τάξει, καταφαγεῖν (v. 6.) τὸ ἀθρόως, καταπιεῖν δὲ τὸ μηδὲ μασώμενον ἐσθίειν. ἐνέκαψε per καταπιεῖν satis explicatur. Itaque Hesychii glossa: ἐγκάπτει, ἐκπνεῖ a Toupio Emendd. III p. 197 egregie emendata: ἐκπίνει. Vox maxime comicis usitata, cf. Arist. Vesp. 791, Hermipp. ap. schol. Ar. Av. 1550 ex emendatione Valckenarii et Porsoni certissima, quam Meinekius quoque probavit Com. II p. 389 sq. Strattid. ap. Athen. VII p. 327 e, Mein. Com. II

ἀλλ' ὡς τάχιστα τρῖβε πολλὰς καὶ πυκνάς.

ΟΙΚΕΤΗΣ Β.

ἄνδρες κοπρολόγοι, προσλάβεσθε, πρὸς θεῶν,
εἰ μή με βούλεσθ' ἀποπνιγέντα περιιδεῖν.

ριχυκλίσσας B. περιχυκλίσας vulgo ante Portum et Kusterum, qui περιχυκλήσας emendarunt, receptum a Burmanno; περικυλίσας coni. Bentleius, primus edidit Brunckius, receperunt recc. omnes.

p. 771; Alexid. ap. Athen. III p. 76 d, Mein. Com. III p. 437. (Perfectum ἐγκέκαφα exstat in Anthol. Pal. IX p. 316, 6). Suidae vero locus s. ἐνέκαψα mutilus est, qui tantum Aristophanis verba contineat non addita explicatione. Ceterum ἐπέγκαψον legitur Eq. 493, ἀνακάψαι Av. 579 et simplex κάπτειν saepius apud Aristophanem et in fragmentis Comicorum.

— περικυλίσας etiam scholiastam legisse apparet, explicantem περιελκύσας καὶ περισύρας. Vetumtamen, quum scarabaei, quod devorent, pedibus comprehendere et circumcingere dicantur, aut περιχυκλήσας vel codicum auctoritate aut περιχυκλώσας, quae melioris notae vox est, legendum videtur. Praeterea de quantitate formae — κύλῖσον adhuc dubius haereo, licet Vesp. 201 cum Cobeto scripserim προσκύλισον. Certe idoneis, quod sciam, exemplis caremus.

— τοῖν ποδοῖν: schol. πρὸς τὴν τάξιν τῶν ποδῶν ἀκολούθως τὸ δυϊκόν. Comparantur Nub. 150 pulicis et Hom. Il. θ, 189 equi pedes eadem dualis numeri forma appellati. Verum etiam priores potissimum pedes cibum circumcingunt devorandum.

v. 9. κοπρολόγοι: non tam ad irridendos oratores μυσαροὺς et λοιδόρους, ut scholiasta explicat, neque ad servos, quibus tale negotium obtigerit, quam ad omnes omnino sterquilimilegos pertinet, quos nuncupamus: Zotenreisser, Schweinigel. cf. Vesp. 1184 et Dind. ad Eq. 899. Servus quidem sodales conclamat, ut Philocleo Vesp. 197 collegas suos Cleonemque principem. Cf. Eq. 255. 257.

— προσλάβεσθε: schol. βοηθήσατε (Eq. 257 παραβοηθεῖτε), sed quod addit συνέχει γὰρ τῇ μιᾷ τὴν ῥῖνα, τῇ δὲ ἑτέρᾳ μάττει, mentitur. Clamat servus, dum utraque manu lutum terit. Ipso igitur odore suffocatur, neque tantum nares continet, sed saepius corpus erigens ex labore tandem exclamat ἄνδρες — περιιδεῖν. — Ad προσλάβεσθε cf. Ach. 1215, ubi eodem sensu, et 1217, ubi capiendi notione dictum est, ut Lys. 202.

v. 10. Ad περιιδεῖν cf. Vesp. 439 περιορᾷς μ' — χειρούμενον, Eccl. 369 περιίδῃς διαρραγέντα, ibid. 1054 περιίδῃς ἑλκόμενον. Omisso participio Ach. 55. cf. Thesm. 698. Nub. 124, quem versum frustra tentavit Cobet. Mnem. II. p. 389. Nub. 509. Ach. 166. Eccl. 1068 etc. Pleraque exempla iam Berglerus attulit.

— ἀποπνιγέντα: verbum et apud Aristophanem et apud reliquos comicos satis frequens. Eq. 940 ἐναποπνιγείης dictum cum eadem exsecrandi notione, qua, quod saepius occurrit διαρραγείης.

ΟΙΚΕΤΗΣ Α.

ἑτέραν, ἑτέραν δὸς παιδὸς ἡταιρηκότος·
τετριμμένης γάρ φησιν ἐπιθυμεῖν.

ΟΙΚΕΤΗΣ Β.

ἰδού.
ἑνὸς μὲν ὦνδρες ἀπολελύσθαι μοι δοκῶ·
οὐδεὶς γὰρ ἂν φαίη με μάττοντ' ἐσθίειν.

ΟΙΚΕΤΗΣ Α.

αἰβοῖ· φέρ' ἄλλην, χἀτέραν μοι, χἀτέραν,
καὶ τρῖβ' ἔθ' ἑτέρας.

ΟΙΚΕΤΗΣ Β.

μὰ τὸν Ἀπόλλω 'γὼ μὲν οὔ·

v. 11. 12 non leguntur in casta Holdenii editione.

v. 12. Bergk.: „fort. φασιν" non probatus Engero in censura ed. prioris, Iahrb. f. Phil. vol. 68, h. 2, 3.

v. 16. τρῖβ' ἑτέρας R. V. ἑτέρας γε Ald. Iunt. II, vulgo. Dobr. propon. ἑτέρας αὖ. Dind. ἔθ' ἑτέρας in ed. a. 1820, 1825, quod rec. Bergk. Hold. — οὐκ Brunck. Inv. contra usum.

v. 11. ἑτέραν: schol. ἐπὶ τῆς τρίτης εἶπεν: immo ἐπὶ ἄλλης ut v. 15. 16, vel Atticorum more, ut schol. V. ait, ἐπὶ πολλῶν. cf. Markland. Eur. Suppl. 569 (579).

— ἡταιρηκότος: hic τῶν κοπρολόγων v. 9. Explicat verbum Athen. XIII p. 571 d; utitur eo Phoenicides apud Stob. Flor. VI, 30, Mein. Com. IV p. 511. In oratoribus aliquoties exstat, cf. H. Steph. s. v.

v. 12. τετριμμένης: quasi non accurate pinsat servus vel ut iterum pinsat τὸ τετριμμένον. Falso schol. R. V. ἴσως ἵνα τοῦ τρίβειν ἀπαλλαγῇ.

v. 13. De particula μὲν, quam non subsequatur δὲ, cf. Heindorf. ad Plat. Phaed. p. 58 a. — ἀπολύειν quum idem sit quod ἀποψηφίζεσθαι et ἀπολελύσθαι idem quod ἐκ — ἀποφεύγειν, ἐκ — ἀποπεφευγέναι vel πεφευγέναι, ut alibi demonstrare conatus sum; φαίη nunc dictum est pro κατηγοροίη. Ad ἑνὸς vero non τρίβειν vel φυρᾶν subaudiendum cum scholiasta, sed, quod sequitur, ἐσθίειν.

v. 14. μάττοντ': schol. εἰώθασι γὰρ ἅμα τῷ μάττειν ἐσθίειν. — ἀφ' οὗ καὶ τὴν παυσικάπην ἐπενόησαν, τροχοειδές τι, δι' οὗ τὸν τράχηλον εἶρον πρὸς τὸ μὴ δύνασθαι τὴν χεῖρα προσάγειν. μέμνηται δὲ ἐν Ἥρωσιν Ἀριστοφάνης· „παύσειν ἔοιχ' ἡ παυσικάπη κάπτοντά σε." Ita ex emendatione Dindorfii, cf. Bergk. ap. Mein. C. II p. 1072. Nisi forte neglecto verborum lusu scribendum μάττοντά σε. De forma μάττειν dixit Reisig. Coni. p. 262. De παυσικάπη cf. Polluc. VII, 20, Suid. Phot. Hesych. s. v. et Aelium Dionys. ap. Eustath. p. 1280, 37.

οὐ γὰρ ἔθ' οἷός τ' εἰμ' ὑπερέχειν τῆς ἀντλίας.

ΟΙΚΕΤΗΣ Α.

αὐτὴν ἄρ' οἴσω συλλαβὼν τὴν ἀντλίαν.

ΟΙΚΕΤΗΣ Β.

νὴ τὸν Δί' ἐς κόρακάς γε, καὶ σαυτόν γε πρός.
ὑμῶν δέ γ' εἴ τις οἶδέ μοι κατειπάτω,

v. 17. εἰμὶ περιανέχειν Suid. s. v. ἀντλία, sed A., ut monuit Bernhardy ὑπερέχειν, item schol. Ar. Equit. 434. — τ' om. R. sec. Bekk.

v. 18. συλλαβών R. V. Suid. s. v. ἀντλία. Inv. Dind. Bekk. Hold. Bergk. Mein. ξυλλαβών Boiss. προσλαβών vulgo antea et schol. — αὐτὴν γάρ C. αὐτήν γ' ἄρ'. Brunck. in textu, αὐτόν γ' ἄρ id. in notis. Versum servo alteri dedit Dobraeus, interrogandi signo post ἀντλίαν posito, eundem Bergk. ed. II, omisso isto signo.

v. 20. οἶδ' ἐμοὶ R. V. ut videtur, Brunck. Inv. Bekk. Boiss. Dind. in Oxon.

v. 17. ὑπερέχειν: schol. ἀντέχειν, περιγίγνεσθαι. ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν πλοίων ἅπερ κινδυνεύει τῆς ἀντλίας πληρωθείσης. Cf. Demosth. 9 p. 128. Eodem sensu dixit Crates ap. Poll. X, 90, Mein. Com. II p. 236; Anaxilas ap. Ath. XIII p. 558 a, Mein. Com. III p. 347; Menand. ap. Stob. Flor. 57, 3, Mein. Com. IV p. 259.

— ἀντλίας: schol. μεταφορικῶς ἀπὸ τοῦ τόπου τῆς νεώς, ἐξ οὗ τὸ ὕδωρ ἀρύουσιν. Melius schol. Eq. 434 τόπος τις τοῦ πλοίου, εἰς ὃν τὸ ὕδωρ σωρεύεται εἰς τὴν ναῦν. Idem statim: ἰστέον δὲ ὅτι ἱστάμενον καὶ χρονίζον τὸ ὕδωρ κάκιστον ὄδωδεν. — ἀντλία nihil aliud significat, quam, ut scholiasta exposuit, ὀσμήν: recteque Brunckius Hemsterhusium ad Lucianum vol. I p. 109 improbavit, qui ipsum cantharum per ἀντλίαν appellari censuisset. Versu autem sequenti ἀντλία utrumque designat et sentinam = Grundsuppe et alveum, in quo pinsebat oletum. „Ferre, inquit, non amplius possum odorem!“ Alter „Itaque, inquit, integrum illi apponam odorem vel integram sentinam.“ Itaque recte scholiasta ad v. 18: ἀντὶ τοῦ τὴν σκάφην. ταῦτα δὲ εἰπών, προσφέρει τὸ ἀγγεῖον ἔνθα ἐφύρα. Iam servus prior intrat scarabaei specum; dumque apponit monstro, quod attulerat, scarabaeus foramen, per quod hucusque conspiciebatur, linquere iubetur ὑπὸ τοῦ μηχανοποιοῦ, ipsum procul dubio foramen clauditur. Exiguo tantum tempore opus est, quo servus redeat; credo eum et audisse verba νὴ τὸν — πρός, et cum versu finito ad collegam rediisse. Verum etiam si temporis aliquantum prius putes praeteriisse, quam redierit; melius tamen haec versuum distributio quam Dobraei, qui servum priorem aut per nimis multos versus abesse iubet aut tacite, dum alter altercatur, redire adstareque segnem.

v. 19. ἐς κόρακας: Reisig. Coni. p. 252 „Nunquam credo Attici dixerunt εἰς κόρακας.“

— καὶ σαυτόν: schol. ἀπόφερε τὴν ἀντλίαν καὶ σεαυτόν. cf. Suid. s. v. ἐς κόρακας.

v. 20. ὑμῶν: cf. Vesp. 54 sqq.

πόθεν ἂν πριαίμην ῥῖνα μὴ τετρημένην.
οὐδὲν γὰρ ἔργον ἦν ἄρ' ἀθλιώτερον,
ἢ κανθάρῳ μάττοντα παρέχειν ἐσθίειν.
ὓς μὲν γάρ, ὥσπερ ἂν χέσῃ τις, ἢ κύων
φαύλως ἐρείδει· τοῦτο δ' ὑπὸ φρονήματος
βρενθύεταί τε καὶ φαγεῖν οὐκ ἀξιοῖ,
ἢν μὴ παραθῶ τρίψας δι' ἡμέρας ὅλης,

et Paris. Bergk. Hold. Mein. οἶδέ, μοι ante Brunckium vulgo et Dind. a. 1820. cf. Dobr. ad Ran. 507, Scholef. II p. 170, idem ἐμοί tuetur II p. 261.
v. 21. ὁπόθεν coni. Cob. Mnem. II p. 98.
v. 24. ἀγχέσῃι R. Talia posthac non amplius commemorabo. Ceterum v. 24. 25 displicuerunt Holdenio.
v. 25. τοῦτο γ' ὑπὸ Vet. in Scalig. Exc. (ita ed. Raphel.) οὗτος ὑπό Fl. Chr.

v. 21. τετρημένην: animadvertas verborum lusum: τετριμμένης v. 12 et τετρημένην, eo maiorem, quum itacismi defensor eris. Dobraeus comparat εἰ μὴ φέροι πως ὦτα μὴ τετρημένα ex Agath. prooem. Anthol. (Vol. VI p. 211 Iacobs.)

v. 22. γὰρ — ἄρ': Heindorf ad Plat. Phaed. p. 68 b comparat Vesp. 451 δ' — ἄρα, ib. 821 ὡς — ἄρα, Pac. 566 γὰρ — ἄρα, ib. 819 ὡς — ἄρα, Eq. 382 ἄρα γε. Plura contulit Reis. Coni. p. 91 sq. Credideris Euripidem audire loquentem, voculae ἄθλιος supra modum amantem, et ad formulam versus Electrae 1175: οὐκ ἔστιν οὐδεὶς οἶκος ἀθλιώτερος facili negotio suspiceris legendum οὐκ ἦν ἄρ' οὐδὲν ἔργον ἀθλιώτερον: vel γάρ.

v. 23. cf. ad v. 1.

v. 24. ὓς — ἢ κύων: schol. κοπροφάγα τὰ ζῷα.

v. 25. φαύλως ἐρείδει: schol. ἁπλῶς καὶ ἀπεριέργως μασᾶται (facile vertit Br. coll. Lys. 566, Thesm. 711), ἢ συντόνως ἐσθίει. ἡ δὲ μεταφορὰ ἐρεττόντων καὶ ἐπερειδομένων ταῖς κώπαις. ἐρείδειν δέ φασιν οἱ 'Αττικοὶ πᾶν ὁτιοῦν συντόνως γινόμενον. Eadem Suidas s. v. φαύλως ἐρ. Cf. infra v. 31 ἔρειδε, μὴ παύσαιο. Ita de contentione virium Eq. 627. 628, al., contra Eccl. 616, Thesm. 488 idem est quod ἐλαύνειν. cf. schol. Ar. Lys. 288 (Suid. s. v. σιμός) Bergk. Mein. Com. II p. 980, et Ath. I p. 48 e, ὅστις ἐν ἡδυόσμοις | στρώμασι παννυχίζων | τὴν δέσποιναν ἐρείδεις, Bergk. ap. Mein. II p. 1178.

— ὑπὸ φρονήματος: Herm. ad Nub. 834 „dicuntur talia plerumque sine articulo;" exemplis sat multis allatis. At videtur saepenumero articulus metro deberi. φρόνημα autem opponitur verbo φαύλως.

— τοῦτο scil. τὸ κνώδαλον vel simile quid.

v. 26. βρενθύεται: schol. σεμνύνεται, ἐπαίρεται, μέγα φρονεῖ. cf. Hesych. Etym. M. Moer. s. v. Eustath. p. 695: κατατρυφᾶν ἀλαζονικῶς. Nub. 362, ubi schol. κομπάζεις καὶ ὑπεροπτικῶς βαίνεις. Lys. 887, ubi schol. ἀλαζονικῶς θρύπτεται. ἡ δὲ μεταφορὰ ἀπὸ τοῦ βρενθίου μύρου: de quo vid. Ath. XV p. 690 d. Vid. Plat. Symp. p. 221 b βρενθυόμενος καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλων,

ὥσπερ γυναικί, γογγύλην μεμαγμένην.
ἀλλ' εἰ πέπαυται τῆς ἐδωδῆς, σκέψομαι,
τηδὶ παροίξας τῆς θύρας, ἵνα μή μ' ἴδῃ.
ἔρειδε, μὴ παύσαιο μηδέποτ' ἐσθίων
τέως, ἕως σαυτὸν λάθοις διαρραγείς.

v. 28. ὥσπερ ἐν γυναιξὶ γογγύλας μεμαγμένας Athen. IV p. 173 α. γυναικί vulgo et Suid s. v. γογγύλιον.

v. 31. μηδέποτ' R. (μηδέποτε) Priscian. p. 1206 Putsch. II p. 362 Hertz., schol. Plat. p. 335 Bekk. Suid. s. v. ἐρείδειν, primus recepit Invern. μή ποτ' V. vulgo. Both. Boiss. (παύστειο Raphel.)

v. 32. αὑτὸν schol. Plat. p. 335 Bekk. et R. sec. Invern., rec. Inv. σαυτόν reliqui. Quidni αὑτόν?

— λάθῃς R. V. vulgo. λάθοις Reisig. Coni. p. 64, Dind. Hold. Mein.

— ἕως σεαυτὸν ἂν λάθῃς δ. Daw. Misc. cr. p. 265, p. 509 Kidd. Brunck. Boiss. Both.

— τέως ἕως αὑτὸν ἂν λάθῃς Inv. perperam.

quod idem legitur Nub. l. l. schol. V. οἱ μὲν ἀπὸ βρένθους τοῦ φυτοῦ (leg. τοῦ τύφου, cf. H. Steph. s. v. βρένθος) οἱ δὲ μύρου εἶδος, ᾧ χρίονται αἱ γυναῖκες καὶ ἐπ' αὐτῷ μέγα φρονοῦσιν.

v. 28. Fallitur scholiasta, quem, ut solet, Flor. Chr. sequitur. De fastu enim atque edacitate mulierum agitur, quarum gulositas cum scarabaei comparatur. Ad γογγύλην et μεμαγμένην supplendum μᾶζαν, utrumque adiectivum esse monuit Lobeck. ad Phryn. p. 103, quamquam Pollux VI, 54 γογγυλίδες· λέγουσι δὲ καὶ γογγύλας. Melius Anecd. Bekk. p. 33, 10 et Thom. M. p. 74 Ritschl. Versus denique Thesm. 1185 ab eodem Phrynicho Bekk. l. l. explicetur: γογγύλην δὲ τὸ στρογγύλον ξύλον. Contra Fritzsch. Thesm. l. l. p. 548 Hoeschelio opitulatur contra Lobeckium. Cf. Dobr. ad Aeschyl. fragm. Scholef. II p. 31. — Compares Eq. 1166 μαζίσκην μεμαγμένην.

v. 29 sqq. Iam fingas servum ianuam, proxime quae foramen est, paullisper aperuisse, et corpus fortasse monstri deforme, non caput amplius neque pedes conspici potuisse. τηδί — τῆς θύρας luculenter ostendit ianuam a foramine diversam esse, luculentius etiam, quod additur ἵνα μή μ' ἴδῃ, unde caput ante foramen iacere, reliquum corpus ad ianuam usque pertinere colligas. Servus denique per ianuam vixdum apertam loquitur ἔρειδε et quae sequuntur usque ad versum 37, quo clausisse eum ianuam putaverim.

v. 29. ἐδωδῆς: vox Homero, Platoni, Xenophonti usitata, apud comicos hoc tantum loco superest.

v. 30. παροίξας τῆς θύρας: schol. bene ὀλίγον διανοίξας τὴν θύραν: potuit etiam ὀλίγον — τῆς θύρας. Genetivum defendunt interpp. ad Moer. p. 316 Piers.

v. 31. μηδέποτ': Numerum versus minus elegantem sat multis exemplis defendit Engerus Lys. pr. p. XXVI, cf. infra v. 226. 686.

v. 32. Optativus λάθοις defenditur e. g. Vesp. 1431 ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.

— De homoeoteleuto τέως ἕως dixit

οἷον δὲ κύψας ὁ κατάρατος ἐσθίει,
ὥσπερ παλαιστὴς παραβαλὼν τοὺς γομφίους,
καὶ ταῦτα τὴν κεφαλήν τε καὶ τὼ χεῖρέ πως
ὡδὶ περιάγων, ὥσπερ οἱ τὰ σχοινία
τὰ παχέα συμβάλλοντες εἰς τὰς ὁλκάδας.
μιαρὸν τὸ χρῆμα καὶ κάκοσμον καὶ βορόν,

v. 37. εἰς vulgo. ἐς Dind. in Oxon. Mein. duce Porsono pr. Hecub. p. LVI. cf. Enger. ad Ar. Lys. 1. 2.

Lobeck ad Soph. Ai. 726. Ad διαρραγείς comp. Bergl. Anaxilam ap. Ath. X p. 416e, Mein. C. III p. 351, et Phoenicid. ap. Ath. X p. 415e, Mein. Com. IV p. 510.

v. 33. Suid. s. v. οἷον. De οἷον, quam, quantopere, cf. Zeun. ad Viger. p. 123 Herm.

— κύψας: schol. καὶ γὰρ τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν θρεμμάτων (— ὦ θρέμμ' ἀναιδές!) οἱ μάλιστα τοῖς ἐδέσμασιν ἐγκεκυφότες καὶ προσκείμενοι δοκοῦσιν ἀπλήστως καὶ περισπουδάστως ἐσθίειν.

v. 34. ὥσπερ παλαιστής: subaudi: τοὺς βραχίονας παραβάλλει. Ipsum παραβαλών schol. expl. χαλάσας. Γόμφιοι porro οἱ μύλοι sunt, dentes molares, ut Pollux docet II, 92 et Moeris s. v. p. 111, non οἱ ἐμπρόσθιοι ὀδόντες scholiastae et Suidae et Zonarae s. v. γομφίους. Cf. Hemsterh. ad Plut. 1060. Vt igitur athletae brachia circumagunt antequam certamen subeunt, ita scarabaeus ad vorandi certamen promptissimus os ita aperit distrahitque, ut vel molares dentes compareant.

v. 35. τὼ χεῖρε: cf. supra v. 7 τοῖν ποδοῖν. Ad articulum τώ cf. Kidd. ad Daw. p. 570. — χεῖρε vero dictum, quod cum pugile comparatur.

καὶ ταῦτα: et id quidem, usu frequentissimo.

v. 36. περιάγων: cf. ad. v. 7. Videtur autem his verbis coniectura περικυκλήσας vel περικυκλώσας v. l. firmari. Non enim, ut interpretes quidam putant, restiones qui crassos funes in usum navium onerariarum contorqueant, cum scarabaeo dixerim comparari: sed, quod iam H. Stephanus explicavit s. v. σχοινιοσυμβολεύς, qui funem nauticum conspirent i. e. in spiram convolvant et complicent. Non de ipsa restionum arte agitur, sed de celeritate manuum, qua nautae utuntur in convolvendis funibus; neque tam brachia circumagunt spiram facientes sed ipsis manuum digitis circumcludunt funem, quem conspirent, crassum. Ita igitur scarabaeus, quod devoret, pedibus suis, τοῖς ἐμπροσθίοις, circumcingit strenue. Qui quum voracissimus sit, aliud post aliud oletum arripit, attrahit, circumcingit pedibus suis. — Lex. Rhet. Bekk. An. p. 302, 26 σχοινιοσυμβολεῖς οἱ τὰ σχοινία καὶ τοὺς κλάδους (L. Dind. κάλους) πλέκοντες. ita schol. R. συμπλέκοντες, schol. V. συνδέοντες (cf. Poll. VII, 160, ex quo Dinarchum verbo usum esse colligas). — σχοινίον sensu obscoeno dictum Vesp. 1343.

De articulo οἱ post ὥσπερ (cf. v. 34. 28) vid. Dobr. Ar. Av. 1008, Scholef. II p. 223.

v. 38 sqq. Haec servus recedens a

χὤτου ποτ' ἐστὶ δαιμόνων ἡ προσβολή,
οὐκ οἶδ'.

ΟΙΚΕΤΗΣ Α.

'Αφροδίτης μὲν γὰρ οὔ μοι φαίνεται,
οὐ μὴν Χαρίτων γε.

ΟΙΚΕΤΗΣ Β.

τοῦ γὰρ ἔστ';

ΟΙΚΕΤΗΣ Α.

οὐκ ἔσθ' ὅπως

v. 39. servo alteri, v. 40—42 servo priori tribuebantur vulgo. Brunckius codd., ut ait, auctoritate fretus servo alteri continuavit ad verba χαρίτων γε v. 41, servo priori dedit τοῦ γὰρ ἔστ'; rursus alteri verba οὐκ ἔσθ' ὅπως — καταιβάτου v. 42; denique quae sequuntur v. 43—49 priori. Receperunt Inv. Bekk. Boiss. Both. — Reisig. Ien. Lit. Z. a. 1817 n. 223 atque ex eo Dind. in Lips. 1820 verba οὐ (sic) γὰρ ἔστ', οὐκ — καταιβάτου servo priori dederunt, reliqua usque ad v. 49 alteri. Idem in Oxoniensi tantum verba τοῦ γὰρ ἔστ'; priori, atque ita in Parisiensi. Bergkius verba οὐ μὴν Χαρίτων γε, et οὐκ ἔσθ' — καταιβάτου priori, reliqua alteri tribuit. Dobraeus οὐκ ἔσθ' ὅπως — καταιβάτου priori, οὐκοῦν — ἐσθίει v. 43—48 alteri, versum 49 priori, v. 50 sqq. alteri concessit. Alii alia, quae enumerare omnia taedet. Ita Flor. Chr. omnia servi alterius esse dicit usque ad versum 49. Dudum Bentleius distinxerat versus ita, ut Brunckius ex codd. B. C. Meinekius verba οὐκ ἔσθ' — καταιβάτου priori, reliqua alteri dedit. Equidem ut supra. Ceterum Brunckius pro γάρ scripsit γ' ἄρ', quo nihil opus. Holden. v. 28—41 μιαρόν — γε servo priori dedit.

ianua atque ad collegam se convertens. τὸ χρῆμα eadem prorsus ratione dictum qua Nub. 1, al.

βορόν: schol. οὕτως ὀξυτόνως ἀντὶ τοῦ ἀδηφάγου. Phryn. Bekk. p. 30 βορὸν χρῆμα ἐπὶ πολυφάγου χρήσῃ. cf. Suid. s. v. βορόν, ubi Bernhardy scripsit κἄκοσμον, nescio cur: nempe καὶ omissum a Suida ante κάκοσμον, cui oppositum ἡδύοσμος, cf. not. ad v. 25.

v. 39. προσβολή: schol. ἐπεὶ ἓν ἕκαστον τῶν ὀρνέων ἀνάκειται θεῷ τινι, ὡς ἀετὸς τῷ Διὶ καὶ γλαῦξ τῇ 'Αθηνᾷ. προςβολὴ ἡ ζημία, ἡ τοῦ δαίμονος ὀργή. ἀντὶ τοῦ ζῷον (immo ἱερὸν) εἰπεῖν, ζημίαν εἶπε, καταρώμενος ἑαυτῷ (leg. αὐτῷ, τῷ κανθάρῳ). cf. Suid. s. v. προσβολή. Significat h. l. attributum, τὸ προσβαλλόμενον, recteque Brunckius comparat προσνείμασθαι Av. 563.

v. 40. 'Αφροδίτης: schol. μύροις γὰρ ἡ θεὸς ἥδεται. eademque Gratiarum conditio est. In verbis scholiastae οὐδὲν γὰρ ἐπαφρόδιτον, ὃ μὴ ἐστι χαρίτων versus videtur latere.

v. 41. τοῦ γάρ: haec servus alter,

τοῦτ' ἔστι τὸ τέρας οὗ Διὸς καταιβάτου.

ΟΙΚΕΤΗΣ Β.

οὐκοῦν ἂν ἤδη τῶν θεατῶν τις λέγοι
νεανίας δοκησίσοφος· τὸ δὲ πρᾶγμα τί;
ὁ κάνθαρος δὲ πρὸς τί; κᾆτ' αὐτῷ γ' ἀνὴρ
Ἰωνικός τίς φησι παρακαθήμενος·
δοκέω μὲν, ἐς Κλέωνα τοῦτ' αἰνίσσεται,

v. 42. τοῦ V. Scal. Exc. οὗ R. vulgo. οὐκ ἔστι τὸ τέρας τοῦ Διὸς κ. coni. Bentl. comp. Thesm. 404. 847. καταιπάτου Pauw. ad Theophr. Charact. p. 82 monente Porsono, non male.

v. 44. τὸ δὲ R. sec. B. vulgo. τόδε Brunck. Inv. Dind. in Lips. 1820, Reisig. Coni. p. 178, Both. Boiss.

v. 47. ὡς Κλ. Suid. s. v. αἰνίττεται. αἰνίσσεται (ionice) Dobraeus, quod recepi. Ita Hold. Mein. Idem Dobr. v. sq. ἔσθιεν, partim propter scholiastam. ἤσθιεν Brunck. in notis. ἔσθιεν etiam Palmerius.

ter, qui sodalem obscure respondentem iterum interrogat. Etiam scholiasta V. quaestionem explicat: τίνος ἄρα.

v. 42. Διὸς καταιβάτου: schol. παρὰ τὸ καταβιβάζειν τοὺς κεραυνούς· ἢ ἀπὸ τοῦ καταβαίνειν δι' ἔρωτα τῶν χθονίων γυναικῶν (immo τῶν νεανίσκων quoque χθονίων, veluti Ganymedis v. 11. 725). Etiam τοῦ ἀποπατεῖν notionem habuerit verbum καταβαίνω. Vnde schol. παίζει καταιβάτην αὐτὸν καλῶν, ἐπεὶ σκάτοις τρέφεται ὁ κάνθαρος. Ceterum bene Berglerus comparavit Aesch. Prom. 359 Ζηνὸς καταιβάτης κεραυνός. Dicas nostro sermone: Zeus, der etwas fallen lässt, der Fallenlasser.

v. 43. οὐκοῦν. Compares haec cum exordio Vesparum 74 sqq. Ibi enim varias civium libidines tangit, hic, ut schol. monet, σκώπτει τοὺς Ἀθηναίους ὡς φιλολοιδόρους.

v. 44. δοκησίσοφος: ita Pherecrates ap. Athen. p. 122c dixit δοκησιδέξιος, Callias autem ap. Poll. IV, 9 δοκησιδέξιος et δοκησίνους. cf. Hesych. Suid. Zonar. s. v.

— τὸ δὲ πρᾶγμα τί=τί δὲ vel τί δὴ τὸ πρᾶγμα; quid hoc sibi vult?

v. 46. Ἰωνικός: schol. male ἑλληνικός, Ἀθηναῖος. Re vera quidam ex Ionia oriundus citatur. Iones vero propter μαλακίαν et ἡδυπάθειαν perstringuntur, cf. Antiphan. ap. Athen. XII p. 526d, Mein. Com. III p. 50. Cum Ione vero τῶν παιδικῶν amantissimus, omnium omnino impurissimus et nequissimus Cleo tangitur, cuius libido acerbius depingi non poterat, quam verbis ἀναιδέως τὴν σπατίλην ἐσθίει. Ionem denique verba designant δοκέω, κεῖνος (cf. Mein. Com. V p. 40), ἀναιδέως. — De forma ἀνὴρ Ἰωνικός vid. Lobeck. Parall. p. 304.

ὡς κεῖνος ἀναιδέως τὴν σπατίλην ἐσθίει.
ἀλλ' εἰσιὼν τῷ κανθάρῳ δώσω πιεῖν.

ΟΙΚΕΤΗΣ Α.

ἐγὼ δὲ τὸν λόγον γε τοῖσι παιδίοις,

v. 48. ἀναιδέως R. V. Bekk. Dind. Boiss. Hold. Bergk. Antea ἀναιδῶς. ἀνέδην Bentl. ἡδέως Elmsl. Ach. 178 p. 23. Ceterum ἀναιδέως. trisyllabum est.

— σπατίλην sine articulo Dind. in L. 1825, in Oxon. et Paris. Boiss. Hold. praeeunte Elmsleio ad Ach. 178 p. 23.

v. 49. Versum servo priori dedit Meinekius, idem v. 50—59 alteri, rursus v. 61 et v. 64 sqq. priori. Tum vero v. 64 repugnat versibus 54 sqq.

v. 48. ἀναιδέως: de versus forma dixit Enger. Lys. pr. p. XXV.

— τὴν σπατίλην: schol. ἡ ἀνθρωπίνη κόπρος. διαβάλλει οὖν τὸν Κλέωνα ὡς σκατοφάγον. Immo ὡς παιδεραστὴν et παθικόν.

ἐσθίει: schol. ἀντὶ τοῦ ἤσθιεν, ἀποθανὼν γὰρ ἦν ὁ Κλέων (cf. v. 269). Idem Eratosthenis fuit dubium monente scholiasta. Verum expedita sunt omnia, modo ὡς κεῖνος ad Cleonem, ἐσθίει ad scarabaeum referas; hic enim impudenter devorat oletum, itaque Cleo est alter, i. e. ἐς Κλέωνα αἰνίσσεται. Neque tamen repugno, si quis Dobraei ἔσθιεν reposuerit.

— Alteram vocis σπατίλη notionem scholiasta affert: σπάτος τὸ δέρμα. σπατίλη δὲ ὁ ῥύπος τοῦ δέρματος, quae magis etiam conveniret Cleoni coriario. Cf. Suid. s. v. σπατίλη. Hesych. s. v. tantum τὸ ὑγρὸν διαχώρημα. Lobeck. Parall. p. 80.

Κεῖνος etiam Hotibius et Dind. de scarabaeo dictum censent.

v. 49. Hoc versu servus alter stabulum intrat, non amplius rediturus. Restat prior mox cum Trygaeo sermonem facturus.

— δώσω πιεῖν: quod tantum cibi sumsit, aeque eget potione.

v. 50. De particulis δέ—γέ coniunctis, quae satis frequenter iunguntur, cf. Fritzsch. ad Daet. p. 105. — λόγον dictum ut Vesp. 54. Hesych. s. v. λόγος: ἡ τοῦ δράματος ὑπόθεσις, item Suid. λόγος καὶ ἡ ὑπόθεσις, afferens versum Pacis 148.

τοῖς παιδίοις: his verbis et quae sequuntur Comicus quasi ordinem quendam spectatorum designat. Quem ordinem ita perlustrat, ut ab infimae sortis spectatoribus incipiens ad nobiliores quosque transeat. τὰ παιδία igitur servi liberique quorum magistri servi sunt, τὰ ἀνδρία vixdum adulti, nimirum ephebi, οἱ ἄνδρες et ecclesiastae et iudices, οἱ ὑπέρτατοι et ὑπερηνορέοντες, qui munere aliquo honesto vel honestissimo funguntur. — Possint etiam tantum aetates designari; illud autem magis convenit, locumque simul quo quisque ordo consederit a servi actore quasi digito monstrari salutarique. Scholiasta utramque explicationem exhibet: τοῖς ὑπερβαίνουσι τὴν τῶν ἀνδρῶν ἡλικίαν ἢ τοῖς ὑπερηφάνοις· ἢ τοῖς τούτων ἰσχυροτέροις καὶ μᾶλλον ἀκ-

καὶ τοῖσιν ἀνδρίοισι καὶ τοῖς ἀνδράσιν
καὶ τοῖς ὑπερτάτοισιν ἀνδράσιν φράσω,
καὶ τοῖς ὑπερηνορέουσιν ἔτι τούτοις μάλα.
ὁ δεσπότης μου μαίνεται καινὸν τρόπον,
οὐχ ὅνπερ ὑμεῖς, ἀλλ' ἕτερον καινὸν πάνυ.
δι' ἡμέρας γὰρ εἰς τὸν οὐρανὸν βλέπων,
ὡδὶ κεχηνὼς λοιδορεῖται τῷ Διὶ
καί φησιν· ὦ Ζεῦ, τί ποτε βουλεύει ποιεῖν;
κατάθου τὸ κόρημα· μὴ 'κκόρει τὴν Ἑλλάδα.

v. 52. ὑπὲρ τούτοισιν R. V. vulgo. correxit Brunck. ex cod. B, recep. Bekk. Dind. Both. Bergk. Mein.
— ἀνδράσι R. vulgo. ἀνδράσιν Brunck. Inv. Bekk. Dind. Boiss. Hold. Bergk. Mein. metro postulante.

v. 56. μὲν R. Inv. γὰρ reliqui. — ἐς Dind. εἰς vulgo. cf. Elmsl. Ach. 42 p. 12.

v. 59. μήκκόρει R. μὴ 'κκόρει (R. sec. Inv.) Suid. s. v. κόρημα, Flor. Chr. Brunck. in not. Inv. Bekk. Boiss. Dind. Both. Hold. Bergk. Mein. Elmsl. ad Eur. Med. p. 286. μὴ κόρει reliqui. Cf. Eustath. p. 951, 42.

μάζουσι. καὶ Ὅμηρος ἠνορέῃ. cf. Eust. p. 462, Zonar. s. v. ὑπερηνορεόντων.

v. 51. ἀνδρίοισιν: ἀνδρίον dixit Eupolis ap. Eustath. p. 1680, 26, Mein. Com. II p. 554.

v. 52. ὑπερτάτοισιν: cf. Av. 1765 ὑπέρτατε, Lys. 772 ὑπέρτερα νέρτερα θήσει. De reliquis comicis vid. indic. s. v. ap. Mein. Com. V.

v. 53. ὑπερηνορέουσιν: formam ionicam, quod verbum Homericum esset, servatam esse indicavit Dindorfius.

— ἔτι μάλα si coniungas, dictum fuerit pro ἔτι μᾶλλον, ut infra v. 280 κᾆτ' οἴμοι μάλα, v. 462 ἔτι μάλα.

v. 54. μαίνεται: compares Vesp. 71 νόσον γὰρ ὁ πατὴρ ἀλλόκοτον αὐτοῦ νοσεῖ. Ad καινὸν τρόπον cf. Krueger. Gr. § 46. 35.

v. 55. οὐχ ὅνπερ: schol. διαβάλλει αὐτοὺς ὡς μαινομένους μανίαν δικανικήν. Errat. Agitur enim de pace; cives ergo φιλοπολέμους tangit per Trygaeum quasi φιλείρηνον. Sin compares, quae ad v. 9 dixi et quae sequuntur v. 57, ad Athenienses φιλολοιδόρους potius quam φιλοδίκους servum loqui dices.

v. 56. δι' ἡμέρας idem quod supra v. 27 δι' ἡμέρας ὅλης (Bergl.).

